PINDARICA

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Commentatio ex supplementis annalium philologicorum seorsum expressa.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXII.

A. B. Bachmann

(donum O. Siesbye)

PINDARICA

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Commentatio ex supplementis annalium philologicorum seorsum expressa.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXII.

Paginarum numeri sunt supplementi tredecimi annalium philologicorum.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

Arduum sane negotium est post Bergkium aliosque bene multos, quorum tamen nemo vivit huic sagacitate par et aeque versatus in Pindaro, poetam Thebanum emendare. Longe enim plerosque locos, ubi sententiarum nexus poetae mentem satis declarabat, cum aliena ope tum suo ingenio ita restituit, ut probabiliora proponi iam nequeant; de multorum autem locorum emendatione desperandum esse vel inde colligas, quod, ut quatuor eius editiones perlustranti apparebit, ipse vir ingeniosus novas in eos identidem, nec semper feliciores proposuit coniecturas. Hos igitur quum non tangere longe praestet, ei praesertim qui non vitam triverit in Pindaro legendo et emendando, non ita multi restant loci Pindarici, quibus salutem reddere posse mihi videor. Quare criticis adnotationibus alias inseram nonnullas ne hodie quidem, ut videtur, poetae studiosis prorsus inutiles. Nam in novissimo Mezgeri opere, quod inscriptum *Pindars Siegeslieder*, quatenus in eo exponitur de ipsis carminum argumentis, contemnendum non est, singulorum locorum interpretationem ubi tangit, multa invenio hoc bonarum litterarum splendore indigna, quae omnia refutare in animo non est (paene semper enim dudum ante Mezgerum interpretes veram rationem intellexerunt), pauca tamen tangam, quae facilius imprudentes fallere posse videantur. Huiusmodi est, ut hinc ordiar, quod Olymp. I vs. 8 (μηδ' — αὐδάσομεν) soloeco μηδὲ non deterritus contra Hartungium perhibet αὐδάσομεν esse futurum, non aoristi coniunctivum, laudans scil. in eius rei fidem locum Soph. 572, ubi non videtur intellexisse ad illud μήτε cogitandum esse ὅπως ex vs. 567, et recte Elmsleium deleuisse vs. 571. Non magis autem huc referri posse quae collegit Kruegerus in gramm. Gr. § 394, 6 (cf. adn. § 513, 2) vel caeco manifestum est. Nec de correpta coniunctivi vocali more Homerico dubitari sinit locus Ol. VII 3 ὡς εἴ τις — δωρήσεται, licet ibi quoque de Iongh (Pindari carm. Olympia Trai. a. Rh. 1865) pessime tueatur futurum locis scilicet Homericis Il. Ε 90 et 161, ubi non ἐπιβρίσει et ἄξει, sed ἐπιβρίσῃ et ἄξῃ bonas editiones habere constat. Nec quidquam certius est quam coniunctivum esse δαμωσόμεθα Isthm. VII 9, ut iam antiquitus intellectum est a scholiasta, qui interpretatur παίξωμεν καὶ εἰς τὸν δῆμον ἀνάγωμεν (l. ἀναγάγωμεν). Etiam Ol. VI 24 ὄφρα — βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαι δὲ κτέ. prius verbum non aliter quam posterius coniunctivum esse admodum videtur probabile. Alia exempla brevis coni. vocalis apud Pindarum non repperi.

Non grammaticam spectat sed antiquitatem, quod observatum velim ad Ol. I 3 ἔστι δ᾽ ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά. Nempe valde est memorabile, Pindaro fabulam quam de Pelope acceperat ita immutanti ut nihil dicere velit quod diis indignum sit, summo numini non indignum videri amorem masculum, siquidem Neptunum δαμέντα φρένας ἱμέρῳ rapuisse Pelopem τωὔτ᾽ ἐπὶ χρέος, quo postea Iovem Ganymedem, narrare non erubescit. Si igitur iam ineunte seculo quinto a. C. poetae pietate insigni inter aequales haec fuit de turpissimo amore sententia, quid ceteros Graecos et tunc et postea sensisse existimamus? Antiquissimum simul nota euhemerismi exemplum vs. 46 sqq.

Coniecturam periclitabor vs. 48 sqq., ubi sic editur ex optimis libris:

ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτίκα φθονερῶν γειτόνων,
ὕδατος ὅτι σε πυρὶ ζέοισαν ἀμφ᾽ ἀκμὰν
μαχαίρᾳ τάμεν κατὰ μέλη,
τραπέζαισί τ᾽ ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν
σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

Non magis δεύτατα explicari posse τὸ τελευταῖον quam de extrema corporis parte intellegi satis superque demonstravit post Boeckhium Dissen, quorum argumentis addi possit prorsus ineptum esse h. l. (quem sumunt ii qui illud statuunt) genetivum partitivum. De mensis autem secundis cogitari non posse praeterquam ex superlativo vel inde liquet, quod harum sunt bellaria, non carnes, ut concedatur poetae anachronismus heroibus tribuendi δευτέραν τράπεζαν. Nihilominus dubito num cum Boeckhio aliisque probari possit deteriorum librorum lectio δεύματα, quae Alexandrini alicuius coniectura (cognovit certe iam hanc quoque lectionem schol. explicans: ἢ τὰ ἔσχατα, ἢ τὰ βεβρεγμένα τῷ αἵματι) esse potest. Hoc enim vocabulum nusquam lectum omni caret auctoritate, et nescio an maiore iure suspicemur delitescere hic glossam Hesychianam δάσματα· διαμερίσματα, i. e. portiones. Quo restituto, poeta nota periphrasi nihil aliud dixerit quam κρέα διεδάσαντο καὶ φάγον. Eadem sententia sed vetantibus numeris iam Hartungium δαιτρὰ κρεῶν coniecisse video.

Vs. 57 de Tantalo dicitur κόρῳ δ᾽ ἕλεν ἄταν ὑπέροπλον ἅν οἱ πατὴρ ὕπερ κρέμασε καρτερὸν αὐτῷ (καρτερονώτῳ Hecker) λίθον, τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν εὐφροσύνας ἀλᾶται. Planissime concedo Ionghio in adn. ad h. l. p. 271 sqq. sermonem esse de feriendo capite, non de amovendo lapide a capite, (quod praeterea de saxo capiti impendente cogitari vix potest), sed frustra is nescio quibus artificiis (quae, si tanti est, legas apud ipsum) ostendere conatur nihil esse difficultatis in genetivo sic posito. In plurimis enim quos attulit locis nullus est qui genetivum tueatur. Necessarium esse quartum casum nemo mihi eripiet, et, modo satis apud me constaret μενοινῶν sanum esse et significare: sollicita

mente expectare, conicerem poetam dedisse: τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλὰν βαλεῖν εὐφροσύνας ἀλᾶται. Sed non diffiteor μενοινᾶν sequente infinitivo semper habere desiderandi vel conandi significationem (cf. ipse poeta Pyth. I 43, Nem. XI 45), ita ut una cum alio verbo pronomen reflexivum sub μενοινῶν delitescere crediderim. Possis v. c. τὸν αἰεί Ϝ᾽ ὀΐων κεφαλὰν βαλεῖν εὐφροσύνας ἀλᾶται. Sed verbum Homericum ὀΐω quum alibi a Pindaro non usurpetur, ἐφεκτέον.

Aeolicam litteram dialectum Boeoticam diu retinuisse testantur tituli. Quam autem levis fuerit eius sonus iam aetate Pindarica, docent duae praesertim res, quarum altera nondum observata esse videtur, nempe nusquam poetam ea littera usum videri, ut faciat positionem, siquidem incerta est lectio Isthm. VI (V) 42 αὔδαcε τοιοῦτον Ϝέπος, ubi codd. variant in τοιοῦτόν τι ἔπος, τοιοῦτον τ᾽ ἔπος, ποῦ τόν τ᾽ ἔπος, et ab aliis aliter hic locus corrigitur. Plus momenti foret in Nem. IV 64 τε δεινοτάτων cχάcαιc ὀδόντων, ubi τε ante δϜεινόc producitur, nisi ibi suspecta esset vocula enclitica versum ordiens, et facili coniectura Bergkius reposuisset ἀκμάντ᾽ | ἢ δεινοτάτων cχάcαιc ὀδόντων (non certa tamen; ἢ enim ante positivos non ante superlativos inferri solet, quod sciam). Alterum, quod volebam, hoc est, in paucis tantum vocabulis apud Pindarum digamma constanter apparere, in longe plerisque pro libitu aut sumi aut abici. Digamma habet ἄναξ Pyth. IV 89. IX 44. XI 62. XII 3. (Ϝανάccων) Ol. XIII 24, neglegitur Ol. X 49. Nem. IV 42. VIII 10 (ἀναξίαιc) X 77, al. — Ϝανδάνειν est Pyth. I 29. VI 51. Isthm. III 33. VII 18, sed ἁνδάνειν Ol. VII 17. Pyth. II 96. — Ϝοῖδ᾽ est Nem. IV 43, Ϝειδώc Ol. II 94, Ϝίcαντι Pyth. III 29, sed ἴcαμεν Nem. VII 14. — Ϝειδομένῳ Pyth. IV 21 et Ϝεῖδοc Ol. VIII 19, sed εἶδοc Pyth. IX 18. — Ϝιδών est Ol. IX 62, Ϝιδοῖcα Ol. XIV 16, Ϝίδριν Ol. I 108, sed ἴδε Ol. X 36, εἶδον ibid. 100, ἰδοῖc᾽ Ol. XIV 22, ἴδον Pyth. III 94, ἰδὼν Pyth. IV 123, ἰδεῖν ib. 294, εἶδον Pyth. IX 98, ἴδῃ Pyth. X 26, ἰδέμεν Nem. VII 25, ἰδεῖν Nem. VIII 8. — Ϝείπαιc Ol. VIII 46, Ϝειπεῖν Ol. XIII 71, Nem. V 14, Ϝειπών Nem. VI 30, Ϝείπῃ Isthm. II 59, Ϝειπών Isthm. VI 55, Ϝερέω Pyth. IV 142, Ϝέποc Pyth. III 2, Ϝέπεα Nem. VII 48, sed εἴποι est Ol. VIII 62, εἴπῃc Ol. XIV 22, εἰπόντ᾽ Isthm. I 46, προcειπεῖν ib. 56, ἔπεccιν Ol. XIII 25, ἔποc Pyth. IV 105. VI 37, ὄπα Nem. III 5, ἐπέων Nem. VI 32. IX 3, ἔποc Nem. X 80, Isthm. I 46. — Ϝελπίc est Ol. XIII 83. Pyth. II 49. Isthm. II 43, sed ἔλπεται v. c. Ol. I 64, et ἐλπίδεc v. c. Ol. XII 6. — Ϝέθνεα (codd. τ᾽ ἔθνεα) Isthm. V 32, sed ἔθνοc Pyth. X 28. — Ϝέργον Ol. XI 38, Pyth. IV 104. VII 19, Nem. III 44 (cf. V 1). VI 53. X 64, sed ἔργον Ol. IX 63. Pyth. III 30. IV 229, 233. Nem. VIII 4, 49. X 30. Isthm. I 45; Ϝέρξαιc Ol. X 91, sed Pyth. VIII 8 ἔρξαι, et constanter ἔργμα. Cf. Nem. I 7. III 6. VII 49, Isthm. I 26, 47 al. — ϜεϜοικότα Pyth. III 59, sed ἐοικόc Nem. II 10. III 19. VII 58. Isthm. V 24. — Ϝεcπέραιc Isthm. VIII 44, sed ἕcπερον Ol. IX 73.

— ἐπιϝεccόμενοc Nem. XI 16, et fragm. 53, 14 (ed. III Bgk.) leg. φοινικοϝεάνων, sed ἐcθάc Pyth. IV 78, 253. — ϝετέων Ol. II 93, sed πάνετεc Pyth. I 20. — ϝίδιοc Ol. XIII 49. — ϝιόπλοκον Ol. VI 30 et Isthm. VII 23 (e Bergkii coni.), sed ἰοπλοκάμων Pyth. I 1. — ϝιάλυcον Ol. VII 74. — ϝιλιάδα Ol. IX 112. — ϝιόλαον Pyth. IX 79. XI 60. — ϝίcον Nem. VII 5. XI 41. Isthm. VI 32 al., sed saepius ἴcoc, ut Ol. IV 27. — ϝιcθμοῦ Isthm. I 9 et 32, alibi sine digamma. — ϝιωλκόc Pyth. IV 188. Nem. III 34. — ϝοῖκοc et sim. Pyth. VII 5. VIII 51. Nem. VI 27, sed sine vau Pyth. IV 43, 151. XI 64. Nem. III 63. IV 77. X 58. Isthm. I 31 et νέοικον Ol. V 8. — Digamma, quod mireris, caret οἶνοc Ol. IX 48, οἰνάνθαc Nem. V 26, ἕκαcτοc Pyth. VIII 48, Nem. VIII 4, Isthm. I 26; nam δὲ ϝεκάcτῳ est Mommseni coniectura Ol. XI 47 pro δ᾽ ἐκ ἑκάcτῳ, ubi verum esse potest δ᾽ ἅμ᾽ ἑκάcτῳ. Praeterea est ἑκών Pyth. III 165, 180, ἕδνον Ol. IX 10, ἕλcαιc ib. 43, εἶξον Isthm. I 6, alia. — Secundum libros ὀργά habet digamma, sed recte pro τοῦ δὲ ὀργάν alia coniecta sunt Nem. V 32. Non magis ϝῆθοc admiserim Ol. XI 21, ut ibi dicam. Cf. Ol. XIII 13. Pyth. III 23 pro αὐάταν aut ἀυάταν (libri ἀβάταν, ἀνάταν, ἀάταν) legendum ἀϝάταν. Constanter vero digamma apparet in pronomine ϝοί (ϝίν) ϝέ, et plerumque in possessivo ϝόc ϝεόc (ϝεάν pro librorum scriptura τεάν restituta est Nem. III 15), quod enim saepe legitur ἑόc id nescio an potius ἐϝόc scribendum sit. Legitur tamen ὅν sine littera Aeolica Ol. V 8. — Neglexi in hac recensione locos quam plurimos, ubi metri ratio patitur digamma, non requirit.

Vs. 59 de Tantalo sic pergit poeta: ἔχει δ᾽ ἀπάλαμον βίον τοῦτον ἐμπεδόμοχθον, μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον, ἀθανάτων ὅτι κλέψαιc ἁλίκεccι cυμπόταιc νέκταρ ἀμβροcίαν τε δῶκεν, οἷcιν ἄφθιτον ἔθεcαν. Novam Comparettii Itali loci obscuri interpretationem, qui ἀπάλαμνον male explicans ἀθάνατον, quartum illum laborem intellegit vitam immortalem, nunc factum supplicium, rectissime improbavit Metzger, laudans Camardam Siculum, quod τέταρτον πόνον intellexerit conscientiam Tantali, sua culpa factum esse, ut Pelops filius ab Olympo pelleretur. Quae si fuit poetae mens, negari non potest eum perobscure et peringrata prolepsi hanc significasse. Equidem nihil pro certo affirmaverim, sed hoc tamen mihi persuadeo, Pindari aequales in Homero versatissimos hoc carmen audientes verba μετὰ τριῶν vix aliter accipere potuisse quam de Sisyphi, Tityi, Ixionis suppliciis apud inferos similiter propter insolentiam in superos poenas luentium. Quae simplicissima veterum (vid. schol.) interpretatio minime refellitur falsa Friderichsi observatione ita poetam scripturum fuisse τῶν τριῶν, nec brevis illorum commemoratio magis supervacanea dici potest quam quod supra vs. 44 sq. cecinit ἔνθα δευτέρῳ χρόνῳ ἦλθε καὶ Γανυμήδηc Ζηνὶ τωὔτ᾽ ἐπὶ χρέοc. Haec tamen explicatio si admittenda est, nescio an poetae verba leni manu sic refingenda sint: — μετὰ τριῶν τέταρτοc, ποτὸν ἀθανάτων ὅτι

κλέψαις ἁλίκεσσι συμπόταις νέκταρ, ἀμβροσίαν τε δῶκεν οἷς νιν ἄφθιτον ἔθεσαν. Sed lubens ex his salebris pedem retracto.

Vs. 71 ἑτοῖμον, i. e. κείμενον ἐν μέσῳ. Recte vetus schol. ἐπεὶ πᾶσι παρέκειτο. ἆθλος γὰρ ἦν τῷ νικῶντι. Obiter corrigas ἆθλον. Argutatur de h. l. de Iongh.

Vs. 75 φίλια δῶρα κτέ. Neptuno Κύπριν προβάλλει Pelops. Vid. Hecub. Euripid. 824 sqq.

Vs. 89 ἐξ ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς. Hanc libri M′ lectionem extra omnem controversiam ponit epigramma allatum a Bergkio, in quo est ἔργμασιν εὐτάκτοισι μεμαλότες ἄκρον ἔφηβοι. Recte iam alii compararunt Hes. Op. 231 θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται. Subest personificatio re non dissimilis ab eo quod dicitur v. c. Ol. VII 17 πατέρα τε Δαμάγητον ἁδόντα Δίκᾳ, nec fortasse sollicitari debet locus Eurip. Med. 636 στέργοι με σωφροσύνα. Pessime μεμαότας edidit Christ.

Hoc carmen non relinquam antequam monuero de positione apud Pindarum in quibusdam diversa ab ea quam poetae Attici observarunt. Nempe quod vs. 19 νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσιν ante mediam et liquidam syllaba brevis non producitur, id non singulare est apud nostrum in γλ. Cf. Ol. XIII 100, Pyth. XI 27, Nem. IV 45. VII 52, 96. Idem factum videbis, sed multo rarius, ante βλ Nem. VII 60. VIII 7 (in verbo βλαστάνειν et cognatis saepe idem fecit Sophocles. Vid. ed. mea Oed. Reg. p. 220), ante δμ Pyth. VIII 47 et alicubi in Olymp., ante δν Pyth. X 72. His igitur decem locis nota regula migratur, sed observatur eadem locis centum (γλ 63, βλ 5, δμ 22, δν 10). Γν (42 l.) et γμ (2) semper faciunt positionem. Quod idem valet de χμ fortuitum est, nam bis tantum occurrit. Γρ paene semper facit positionem (18), semper in vocabulo ἀγρός quaeque inde ducuntur, ter tantum non facit (Nem. VI 7. VIII 41, fr. 214, Bg. ed. III). Etiam in φρ, θρ et χρ longe saepius positio observatur quam neglegitur (62 : 20, 24 : 8, 32 : 14). In βρ, πρ, κρ, τρ, δρ fit idem, sed lenior est proportio (35 : 19, 38 : 30, 84 : 51, 103 : 85, 26 : 15). Denique muta cum liquida apud Pindarum paene bis toties positionem facit quam non facit (789 : 404). Eorum, quae nondum recensui, haec tabella declarat proportiones: πλ (36 : 17), φλ (6 : 3), κλ (53 : 30), χλ (4 : 2), τλ (6 : 1), θλ (34 : 20), κμ (7 : 9), τμ (11 : 11), θμ (16 : 13), πν (10 : 16), φν (12 : 5), κν (12 : 5), χν (11 : 5), τν (10 : 4), θν (5 : 7). Positio aeque locum habet in thesi quam in arsi; qua proportione, non indagavi. Addere possim ἐσλός (= ἐσθλός) ter corripere paenultimam Ol. II 19, Pyth. III 66, Nem. IV 95, unde Hermannus Op. I p. 251 collegit ubique apud Pindarum ἐθλός corrigendum esse. Qui contra disputat Bergk ad Ol. II 19 mirae tamen correptionis originem non expedit. Alia minus vulgaria haec sunt: πάν pro πᾶν Ol. II 85, νύν temporale pro νῦν Ol. X 78 et saepius alibi,

ἰχνεύων, correpta paenultima, Nem. VIII 35, quocum Bergk contulit θηρεύει et εὔωνον apud Hipponactem, in quibus similiter brevis est diphthongus; pronuntiandum fuerit ἰχνέϝων. Contra poetarum Atticorum morem verba μανύω et γαρύω apud Pindarum corripiunt paenultimam. Cum Homero conspirat in quantitate vocalis in θύειν, in ἱέναι et comp., in comparativis in ίων, Κρονίων, χρύσεος, ἄνερες, aliis, cum Atticis vero in καλός et ἴσος, Pyth. IX 39 est κλαΐδες, sed Pyth. VIII init. κλαῖδες. Acta si egi, tironibus haec dicta sunto.

Olymp. II 43. νέοις ἐν ἀέθλοις ἐν μάχαις τε πολέμου τιμώμενος. Valde miror neminem, quod sciam, coniecisse, quod tamen necessarium videtur, νέων ἐν ἀέθλοις, quia illud nihil aliud significare potest quam in recentibus certaminibus. Alia ratio est loci Euripidei Med. 48 νέα γὰρ φροντὶς οὐκ ἀλγεῖν φιλεῖ, siquidem puerorum animus rectissime animus iuvenis dicitur, unde non sequitur, ut arbitror, iuvenum certamina recte νέους ἀέθλους dici. Poetas non ita raro adiectivis primitivis uti pro derivatis haud ignoro, sed id faciunt cum iudicio, neque ita ut nasci possit ambiguitas.

Vs. 56 εἰ δέ νιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον. Ita libri; quorum lectionem qui tuentur prave apodosin a vs. 61 ἴσαις δὲ κτέ. incipere existimant. Poetam enim tam perplexe locutum esse quis credat? Vana quoque videtur Bergkii in ed. III et IV prolata opinio poetam brachylogia scilicet usum (similis brachylogiae quidni affert exemplum?) ita scripsisse pro εἰ δέ νιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον, Θήρων οἶδε τὸ μέλλον. Bono critico dignius rem gessit olim cum locum depravatum esse perspiceret, coniciens leniter sane οἶδε· — οἶδεν. Sed verborum nexus nescio an potius hanc requirat sententiam: Illud qui habet (verissimum lumen, scil. τὸν πλοῦτον ἀρεταῖς δεδαιδαλμένον), aequo animo feret futurum, i. e. mortis formidine non agitabitur, quandoquidem post mortem, ut improbi poenas luunt, ita viros probos di remunerantur. Quare legendum suspicor: εὖ (cum Rauchensteinio) δέ νιν ἔχων τις οἴσει τὸ μέλλον, ὅτι θανόντων μὲν κτέ.

V. 62 ἀπονέστερον ἐσλοὶ δέκονται βίοτον, οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ οὐδὲ πόντιον ὕδωρ κεινὰν παρὰ δίαιταν. Ultima verba non possunt significare quod putant interpretes, propter tenuem victum. Nam neque κεινός est tenuis, neque παρά est propter. Rectissime me iudice Madvig rescribi iussit κείναν παρὰ δίαιταν, quod solum sermoni et sententiae satisfaciens non magis languet (languidum dixit Bergk) quam Ol. X 102 κεῖνον κατὰ χρόνον, i. e. (inclyto) illo tempore. Similiter κείναν παρὰ δίαιταν est in (praeclara) illa vita. Reliqua immerito sollicitavit Bergkius coniciendo ἔγχεος ἀκμᾷ, quod vomerem notare putat, sed non reputavit id iungi non posse cum verbis οὐδὲ πόντιον ὕδωρ, quemadmodum in vulgatis ἐν χερὸς ἀκμᾷ iungendum est cum his verbis non minus quam cum χθόνα. De industria autem poeta, spectans huius vitae humanae labores et aerumnas, usus est verbis

ἐν χερὸς ἀκμᾷ, quibus notaret corporis defatigationem, neque quisquam Pindari lector haerebit in praep. ἐν addita dativo instrumentali, quem usum vel in diverbiis admisit Sophocles.

Vs. 85 φωνάεντα συνετοῖσιν. Aesch. Ag. 39 μαθοῦσιν αὐδῶ.

Vs. 87 ἄκραντα γαρύετον. Mezger 'der Dual scheint aus metrischen Gründen gewählt und hat pluralischen Sinn'. Incredibile est vel hodie reperiri qui istiusmodi sententiam tueantur, non reputantes quantum sic statuendo derogent magni poetae ingenio, numeris scilicet coacti ut certam et constantem sermonis legem turpissime violaret. Mezger in sententiae suae fidem laudat Kruegeri gramm. I 63, 3 a. 3, sed aliquanto melius pro saniore sententia citabimus Kuehneri Ausf. Gramm. II § 368, 2, qui prudenter et perite locos huc pertinentes diiudicavit. Et scire pervelim qualis fuerit causa illa metrica, siquidem in strophae fine γαρύετον eandem habet mensuram quam γαρύετε, ut canere potuit poeta apostrophe (indignationi h. l. valde convenienti) usus ad adversarios, sive indicativum sive mecum imperativum esse mavis. Nec sane longe absum, quin hoc ipsum poetam scripsisse suspicer, si verum est Simonidem Theronem cum Hierone in gratiam reduxisse, itaque merito de Iongh explosit veteris scholiastae commentum, oblique hic tangi a poeta Simonidem atque Bacchylidem ut suos obtrectatores. Quam imperativi formam Bergk in ed. IVta pro γαρύετον restituendam esse suspicatur γαρυέτων, antiquam Graeciam novisse (cf. ἔστων et ἴτων) nimis incertum est. Γαρύετον si quis tuetur, suspicari debet Pindarum cogitasse duos poetas aequales, quorum nomina hodie nos lateant.

Vs. 95 ἀλλ' αἶνον ἐπέβα κόρος οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν, τὸ λαλαγῆσαι θέλων κρύφον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις. Mezger aliique loco Sophocleo O. C. 442 τὸ δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν tueri se putant τὸ λαλαγῆσαι 'θέλων. Sed istius versus, non hac sola de causa Sophocli me iudice abiudicandi, testimonium recuso. Hartung coniecit συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων γὰρ ἀνδρῶν τὸ λαλαγῆσαι, ἐθέλειν κρύφον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις, quod non satisfecit Bergkio in ed. IVta corrigenti ἀλλὰ μάργων γὰρ ἀνδρῶν τὸ λαλαγῆσαι θέλειν κρύφον τε θέμεν, in quo audienti periculum erat ne perperam iungeret τὸ θέλειν λαλαγῆσαι κρύφον τε θέμεν. Mihi venit in mentem: ἀλλ' αἶνον ἐπέβα κόρος οὐ δίκᾳ συναντόμενος — ἀλλὰ μάργων γὰρ ἀνδρῶν τὸ λαλαγῆσαι —, 'θέλων κρύφον τιθέμεν κτέ. Non male ipsi κόρῳ, ut arbitror, tribuas obscurandi praeclare facta voluntatem. Et τιθέμεν iam coniecit Hermannus.

Olymp. III 42 εἰ δ' ἀριστεύει μὲν ὕδωρ, κτεάνων δὲ χρυσὸς αἰδοιέστατον. E libris nonnullis revocandus videtur notus Graecismus (de quo cf. Kuehner, Ausf. Gr. § 363), quem in reliquis oblitteravit grammaticorum cacozelia: κτεάνων δὲ χρυσὸς αἰδοιέστατος. Perperam Bergk. Pyth. XI 58 omnium librorum (excepto Bi) lectionem, cognitam etiam scholiastae, κτεάνων κρατίσταν χάριν mutavit in κράτιστον.

Olymp. IV 11 χρονιώτατον φάος εὐρυσθενέων ἀρετᾶν. Male Mezger 'den so spät erschienenen Aufstrahl weitmächtiger Tugenden'. Recte alii intellegunt de diuturna gloria quam poeta victori carmine suo donat. Non probabilius mox idem σπεύδει dictum esse putat quod ante novem annos condita sit Camarina. Σπεύδει nihil aliud est quam studet. Quo autem iure tueatur optime spretam ab omnibus editoribus lectionem ἁλικίαις pro ἁλικίας, ipse viderit.

Olymp. V 10 ἀείδει. 'Carmen epinicium affert canendum' Dissen. Inaudita haec verbi potestas. Dudum receptam oportuit evidentissimam Heckeri emendationem ἀέξει. Etiam lenius foret ἀείρει, sed hoc verbum, sic absolute positum, metaphorico celebrandi sensu usurpari non videtur.

Olymp. VI 8. ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς. Non recte interpretes iungere videntur ἐπικύρσαις ἐν ἀοιδαῖς, siquidem incidere in (sic enim vertunt) Graece sonat ἐπικυρεῖν τινι, non ἔν τινι, nancisci vero est ἐπικυρεῖν (= ἐπιτυγχάνειν) τινός. Hinc credo iungendum esse ἐπικύρσαις cum sequenti genetivo, ut verba ἐν — ἀοιδαῖς suspensa sint ex ἀφθόνων. Verto: nactus cives non invidos (copiosos) in cantibus iucundis.

Vs. 12 Ἁγησία, τὶν δ' αἶνος ἑτοῖμος, ὃν ἐν δίκᾳ | ἀπὸ γλώσσας Ἄδραστος μάντιν Οἰκλείδαν — φθέγξατ'. Non video quid lucremur Bergkiana coniectura ἀπὸ γλώσσας τ' Ἀδράστου, quia sic scribendo non augetur vis verborum satis otiosorum ἀπὸ γλώσσας. Quare potius aut cum Heckero scripserim ἀπὸ γνώμας, aut ipse correxerim: ὃν ἐνδίκου ἀπὸ γλώσσας κτέ.

Vs. 15 ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τελεσθέντων. Ita libri omnes, nec quicquam aliud legisse veteres interpretes sobrio et circumspecto iudicio usus agnovit Bergkius. Nubes est in h. l. coniecturarum: τελεσθεισῶν, πυρᾷ — τελεσθέντων, πελασθέντων, ἀμαθέντων, ἑτασθέντων, τ' ἐδεσθέντων, τε νησθέντων, ex quo numero duae tantum ultimae (Bergkii est utraque), sed imprimis ultima, quam recepit in novissima editione, satis videtur probabilis. Nescio tamen an alius locus Pindari Nem. IX 24 ἑπτὰ γὰρ δαίσαντο πυραὶ νεογυίους φῶτας, ubi de eadem re sermo est, etiam probabiliorem subministrat medelam hance: ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τε δαισθέντων. Euripides Heracl. 914 τὸν Ἅιδα δόμον κατέβα πυρὸς δεινᾷ φλογὶ δαισθείς.

Vs. 53 οὐδ' ἰδεῖν εὔχοντο, i. e. ἰσχυρίζοντο. Cf. Hom. Il. XVIII 499 ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι.

Vs. 97 μὴ θραύσοι χρόνος ὄλβον ἐφέρπων. Vulgo recepta est Boeckhii correctio θράσσοι, superstructa veteris interpretis explicationi μὴ ταράσσοι, eique posthabita est Hermanni emendatio θραύσαι, pro quo tamen verbo non ignaviter militare mihi videtur locus Euripideus Herc. 776 χρόνου γὰρ οὔτις ῥόπαλον (feliciter sic correxit τὸ πάλιν Wilamowitz-Müllendorf) εἰσορᾶν ἔτλα νόμον παρέμενος, ἀνομίᾳ χάριν διδούς, ἔθραυσε δ' ὄλβου κελαινὸν (πα-

λαιὸν?) ἅρμα. Sed sententiae magis convenit tempus praesens quam aoristus, siquidem vis temporis non est subitanea, sed continua. Quocirca Pindaro reddiderim θραύοι.

Olymp. VII 9 ἱλάσκομαι. Schol. ἱλαροὺς ποιῶ. Dissen εὐφραίνω. Neuter satis recte. Verte: propitios mihi reddo, tanquam deos, quos hymnis honoramus. Olympionicos divinis paene honoribus Graeci prosequebantur.

Vs. 20 ἐθελήσω — διορθῶσαι λόγον. Verte conabor. Verba enim volendi in futuro usurpata hanc notionem induere assolent. Saepe sic βουλήσομαι, v. c. Arist. Plut. 290 καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι κτἑ., quibus Carionis verbis respondet chorus: ἡμεῖς δέ γ᾽ αὖ ζητήσομεν κτἑ.

Vs. 83 ὅ τ᾽ ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔγνω νιν. Vertunt novit eum, sed cll. locis Ol. VI 89 et XIII 3 vix dubitabis mecum hic quoque agnoscere mirum illum et peculiarem usum verbi γιγνώσκειν apud Pindarum, quo significat clarum reddere.

Vs. 73 Κάμειρον. Veram nominis formam esse Κάμιρον tituli demonstrant. Cf. Lapid. test. de dial. Att. p. 25.

Vs. 93 μὴ κρύπτε κοινὸν σπέρμ᾽ ἀπὸ Καλλιάνακτος. Duce veteri scholiasta (μὴ κρύπτε τὸ κοινὸν καὶ διάδηλον τοῖς πολλοῖς τ. Κ. γένος) interpretari solent illustre, notum omnibus, praeter Ionghium, qui propriam vocabuli vim agnoscens, sed non sentiens quantopere ea notio hic langueat, vertit communem. Non dubium existimo quin Pindarus scripserit κλεινόν (an κλεννόν), quod cum καινόν et κοινόν perpetuo confundi solet a librariis. Ut hic κρύπτειν, sic usurpatur etiam καλύπτειν, v. c. ap. Soph. O. C. 282, ubi recte schol. interpretatur ἀφανίζειν.

Olymp. VIII 11 μέγα τοι κλέος αἰεί, ᾧ τινι σὸν γέρας ἕσπητ᾽ ἀγλαόν. Bergk, qui olim recte improbaverat pessimam formam analogiae Graeci sermonis repugnantem, quam librarii hic illic in Pindarum aliosque intulerunt, postea retractavit sententiam. Legendum puto ᾧτινι σὸν γέρας ἂν σπῆτ᾽ ἀγλαόν. Ol. IX 83 τόλμα δὲ καὶ ἀμφιλαφὴς δύναμις || ЄCποιτο, vera lectio videtur CYЄποιτο. Isthm. V 36 Bergk in ed. II recte dederat ἔπραθον σπόμενοι pro πράθον ἑσπόμενοι, quem librariorum errorem revocavit in ed. III et IV. Difficilius dictu est quo pacto sanandus sit locus Isthm. VI 17 ἐγὼ δ᾽ ὑψίθρονον Κλωθὼ κασιγνήτας τε προσεννέπω σπέσθαι κλυταῖς || ἀνδρὸς φίλου Μοίρας ἐφετμαῖς, ubi numeros viri docti correxerunt legendo cum Pauwio ἕσπεσθαι. Metro convenit προσεννέπω αἰδεῖσθαι κλυτὰς — ἐφετμαίς (Aeolice = ἐφετμάς), sed fortasse praestat transponere: προσεννέπω ἀνδρὸς φιλτάτου || σπέσθαι κλυταὶς (recte Bergk) Μοίρας ἐφετμαῖς. Soloecum est, quod olim proposuit Bergk, ἕψεσθαι. Quippe post verba precandi, iubendi et hortandi infinitivo futuri locus non est.

Vs. 81 Ἑρμᾶ δὲ θυγατρὸς ἀκούσαις Ἰφίων Ἀγγελίας ἐνέποι κεν Καλλιμάχῳ λιπαρὸν κόσμον Ὀλυμπίᾳ κτἑ. Iphion fortasse fuit

pater Alcimedontis victoris et Callimachi, iam defuncti. Patrem, quo tempore carmen pangeretur, iam fuisse mortuum apparet fere ex vs. 70, ubi solus avus victoris commemoratur. In praeconio autem, quo Alcidamus victor renuntiatus est de more nominatus fuerat pater eius, itaque hic, descendente Mercurii τοῦ χθονίου filia Angelia ad eum in Orco, victoriam Alcidamanti fratri (aut certe consanguineo) nuntiare poterat. Mihi quidem quae de h. l. commentus est de Iongh minime satisfaciunt. Verba vs. 77 ἔστι δὲ καί τι κτέ. optime explicuit Dissen.

Olymp. IX 38 καυχᾶσθαι. Dissen gloriari. Rectius reddas iactare, i. e. vanis uti verbis. Idem mox dicitur λαλαγεῖν, i. e. φλυαρεῖν, ληρεῖν.

Vs. 40 utique deleto accentu legendum μή νυν (vulgo μὴ νῦν) λαλάγει τὰ τοιαῦτ᾽. Nam omnino (non nunc tantum) talibus abstinendum putat poeta. In sequentibus iunge ἔα χωρὶς ἀθανάτων, i. e. procul a dis relinque omne bellum, utpote his indignum. Perperam Dissen: mitte omne bellum absque diis gestum, quam explicationem cum grammatica repudiat tum sententiarum nexus. Hoc tantummodo dubium est, utrum ἀθανάτων suspensum sit a χωρίς an a verbis πόλεμον μάχαν τε πᾶσαν.

Vs. 52 ἀνάπωτιν esse obiectum, ἄντλον subiectum probabile est cum ob praegressam structuram χθόνα κτέ. tum vero imprimis propter verbi ἑλεῖν usum apud Pindarum. Cf. Ol. I 56, Pyth. II 30, Isthm. I 100.

Vs. 109 ὤρυσαι fieri potest ut iniuria tentetur. Similiter certe hoc verbum ab Herodoto IV 75 de laeto clamore usurpatum reperies. Quamquam ὑψηλόν poetam verbum χαμαιπετές parum decere facile largior.

Olymp. X 7 ἕκαθεν γὰρ ἐπελθὼν ΟΜΕΛΛΩΝ χρόνος ἐμὸν καταίσχυνε βαθὺ χρέος. Non nisi artificiosam interpretationem admittit ὁ μέλλων χρόνος, relatum scilicet ad tempus, quo debitum contrahebatur. Una mutata litterula sanior exibit, nisi fallor, sententia haec: Nam e longinquo adveniens tempus *augendo* meum turpissimum reddebat ingens debitum, veruntamen diluere potest acrem reprehensionem fenus (quod solvam) nauticum. Recte enim Bergk pro θνατῶν reposuisse videtur ὁ ναυτᾶν. Nempe corrigo:

ἕκαθεν γὰρ ἐπελθὼν ὀφέλλων χρόνος
ἐμὸν καταίσχυνε βαθὺ χρέος.
ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖαν ἐπιμομφὰν τόκος ὁ ναυτᾶν.

Semper differenda solutione debitum augetur mercedibus, itaque non nisi gravi fenore, quale est nauticum, (cum capite scil. solvendo), dilui potest.

Vs. 29 ὡς Αὐγέαν λάτριον ἀέκονθ᾽ ἑκὼν μισθὸν ὑπέρβιον πράσσοιτο. Plerique interpretes iungentes μισθὸν ὑπέρβιον πράσσοιτο, veteri scholiastae obsecuti, explicant πλεῖστον ὄντα, quam

vocabuli vim vellem exemplis demonstrassent. Nihili enim est quod de Iongh attulit πλοῦτος μεγάνωρ ex Ol. I 4. Nisi omnia me fallunt, poeta ipsum Augeam, qui 34 audit ξεναπάτας, vocavit ὑπέρβιον et adiectivum eo loco posuit, quo magis appareret cur necesse fuerit Herculi exigere mercedem. Recte iam recentior quidam scholiasta locum sic intellexit, eumque secutus emunctae naris homo, Dissenius.

Vs. 30 καὶ κείνους. Dissen 'ut alios plurimos'. Praestiterit, ni fallor, voculam καί non aliunde, sed ex ipso carmine, interpretari: ut ipsi antea exercitum Tirynthium straverant, quam rem poeta narrat in ipsis sequentibus.

Vs. 51 βρέχετο πολλᾷ νιφάδι. Mezger 'dies war das einzige was man damals von dem Kronion sagen konnte'. Tribuit interpres poetae id quod non dicit. Manifesto hic usurpando praeterito indicat, sua aetate raro ninxisse in Cronio, et Olymp. I 111 disertis verbis dicit fuisse tunc collem apricum, εὐδείελον. Miraculum igitur narrat, et collem, ex quo Saturno sacratus sit, dei beneficio asperam suam naturam exuisse significat. Cf. miraculum de Batti voce terrenti leones Pyth. V 57.

Vs. 78 ἀρχαῖς δὲ προτέραις ἑπόμεναι καὶ νῦν ἐπωνυμίαν χάριν νίκας ἀγερώχου, κελαδησόμεθα βροντὰν καὶ πυρπάλαμον βέλος ὀρσικτύπου Διὸς κτέ. Quandoquidem χάριν non adverbiascit h. l., sed ἐπωνυμίαν χάριν νίκας valet ὕμνον ἐπινίκιον (cf. schol.), verbum κελαδησόμεθα habet duplicem accusativum χάριν et βροντὰν καὶ — βέλος. Quocirca delenda videtur virgula post ἀγερώχου. Quod Bergk in ed. IVta proposuit εὐωνυμίαν prima syllaba correpta, de eo dubito. Vid. supra ad Ol. I 89 versus finem adnotationis.

Vs. 82 ἐν ἅπαντι κράτει — κεραυνὸν ἀραρότα. Boeckh: summae potentiae aptatum. At, licet dicendo: ἅπαν κράτος ἐστί παρά τινι significemus summam penes aliquem esse potentiam, non tamen idcirco ἅπαν κράτος per se significat summum, sed omne imperium. Quare verius Dissen explicare videtur omni victoriae iunctum, i. e. quum nulla victoria esse possit, nisi annuente Iove potente fulmine suo. Boeckhii interpretationem sequenti certe vertendum est: omni eius potentiae aptatum, i. e. quod Iovis potentiam nusquam non comitatur.

Vs. 97 κλυτὸν ἔθνος Λοκρῶν ἀμφέπεσον μέλιτι εὐάνορα πόλιν καταβρέχων. Cum Bergkio ἀμφέπεσον mendosum esse iudico. Quod autem coniecit ἀμφίεπον, id propter tempus ferri non posse, ipsum non latuit. Quidni igitur coniecit ἀμφιϝέπω?

Olymp. XI 6 τέλλεται singularis pro plurali per attractionem, propter antecedens ἀρχὰ λόγων. Male de Iongh comparavit ἦν Hesiod. Theog. 321 et Soph. 518., ubi ἦν veterem formam pro ἦσαν esse satis constat.

Vs. 16 ἐγγυάσομαι ὔμμιν, ὦ Μοῖσαι, κτέ. Necessarium videtur praesens tempus ἐγγυάομαι, spondeo, non spondebo.

Vs. 21 διαλλάξαιντο ἦθος. Vocula ἄν potentialem optativum

apud Pindarum carere posse extra dubitationem ponere videtur Ol. III extr. κεινὸς εἴην, et verba Pyth. X 21 θεὸς εἴη ἀπήμων κέαρ fieri potest ut recte Bergk explicuerit in edit. IVta. Nihilominus ea omissio perrara est nec nisi cogentibus numeris admissa et admittenda esse videtur. Itaque dubito v. c. num Pyth. X 28 recte Bergkius scripserit τάχ' εὕροις. Quod utut est, loci, quem nunc tractamus, hiatus facit pro Hartungio corrigenti διαλλάξαιντ' ἂν ἦθος. Nam ἦθος apud Pindarum habere digamma merito dubites. Saltem non habet Ol. XIII 13.

Olymp. XIV 4. Ὀρχομενοῦ. Poeta Thebanus procul dubio urbem sic vocavit, ut ea aetate et dudum post non ipsi tantum Boeotii sed etiam Athenienses eam vocarunt, testantibus titulis, Ἐρχομενόν. Cf. Lapid. test. p. 23. Et Ἐρχομενοῦ est in Vaticano A. Iam Boeckhium, sed frustra adhuc, id monuisse nunc video.

Vs. 20. Ἀχοῖ κτέ. Praeter Ol. VIII 81 sq., quem locum contulit Boeckh, consulas velim Sophocl. Electr. 1066 sqq.

Pyth. I 16 sqq. Cf. Aesch. Prom. 351 sqq.: τὸν γηγενῆ τε Κιλικίων οἰκήτορα ἄντρων — ἑκατογκάρηνον — Τυφῶνα θοῦρον — καὶ νῦν — κεῖται — ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο. Poetae Attico locum Pindari obversatum esse vix dubites. Similiter ibidem 349 κίον' οὐρανοῦ dictum de Atlante simillimum esse Pindarico κίων οὐρανία de Aetna dicto olim observatum est. Cf. Od. α 54. Mox quoque de Aetnae eruptione compares vs. 20 ἀπλάτου πυρὸς — παγαί· ποταμοὶ κτέ. cum Aeschyleis (l. l. 371) θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης et vs. 368 ποταμοὶ πυρός et Vulcani mentionem vs. 25 cum Aesch. vs. 366 sq. et vs. 30 εὐκάρποιο γαίας cum vs. 369 καλλικάρπου Σικελίας.

Vs. 26 παρεόντων. Ante Cobetum Coraes, lettres inédites p. 38, coniecit παρ' ἰδόντων.

Vs. 40 ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέμεν εὔανδρον τε χώραν. Frustra Hermannus coniecit εὐανδροῦν, quod verbum Graecum non est. Nec quidquam mutandum. Prorsus simile est zeugma Ol. I 88 ἕλεν δ' Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον, et recte iam Schneidewin comparavit Eur. Phoen. 951. Alia zeugmatis exempla apud nostrum haec sunt: Pyth. VIII 19 ἐστεφανωμένον ποίᾳ Παρνασίδι Δωριεῖ τε κώμῳ. Pyth. X 39 χοροὶ παρθένων λυρᾶν τε βοαὶ καναχαί τ' αὐλῶν δονέονται, nisi forte ibi legendum est mutatione vix ulla βοᾷ καναχᾷ τ' αὐλῶν. Nem. XI 11 ἄνδρα δ' ἐγὼ μακαρίζω μὲν πατέρ' Ἀρκεσίλαν, καὶ τὸ θαητὸν δέμας ἀτρεμίαν τε σύγγονον.

Vs. 44 ἔλπομαι — βαλεῖν — ἀμεύσασθαι. Recipienda fuerat varia lectio ἀμεύσεσθαι, nam βαλεῖν haud dubie futurum hic est, non aoristus.

Pyth. III 34 ἐς Λακέρειαν. Fortasse non fortuitum est quod fabula hoc oppidum fecit Coronidis patriam. Cf. λακέρυζα κορώνη.

Vs. 74 στεφάνοις τοὺς ἀριστεύων Φερένικος ἕλεν Κίρρᾳ ποτέ.

Ita scribi non potuit nisi dudum post victoriam. Neque huius loci est τότε. Itaque suspicor veram lectionem esse ποςίν.

Vs. 23 ἔςτι δὲ φῦλον ἐν ἀνθρώποιςι ματαιότατον, ὅςτις αἰςχύνων ἐπιχώρια, παπταίνει τὰ πόρςω. Prorsus ineptum est αἰςχύνων, quod significare nequit ἐξευτελίζων, ut interpretatur scholiasta. Praestaret certe αἰςχυνθεὶς, sed ne hoc quidem prorsus satisfacit. Nisi fallor, poeta dederat: ὅςτις ἀςχάλλων ἐπιχώρια, παπταίνει τὰ πόρςω. Ad accusativum cf. Eurip. Orest. 781.

Vs. 50 ἢ θερινῷ πυρὶ περθόμενοι δέμας ἢ χειμῶνι. Non de ictu solis (Sonnenstich) cogitaverim cum Mezgero, sed de nimio calore aestivo, pariente febres.

Vs. 101 de Achille ἐν πολέμῳ τόξοις ἀπὸ ψυχὰν λιπών. Cum Heckero expectabam ἀπὸ — βαλών, nisi forte Pindarus eodem sensu usurpavit verbum poeticum: ἀπὸ ψυχὰν δικών. Facilius enim ΔΙΚΩΝ in ΛΙΠΩΝ corrumpi poterit. Quamquam verbi rarioris usus translati exempla ignoro.

Pyth. IV 3. Cάμερον μὲν χρή ςε παρ᾽ ἀνδρὶ φίλῳ ςτᾶμεν, εὐίππου βαςιλῆι Κυράνας, ὄφρα κωμάζοντι ςὺν Ἀρκεςίλᾳ, Μοῖςα, Λατοίδαιςιν ὀφειλόμενον Πυθῶνι τ᾽ αὔξῃς οὖρον ὕμνων. Quia secunda persona coniunctivi Graece non ponitur in iubendo aut hortando, litteris aliter diremptis emenda: Λατοίδαις, ἵν᾽ ὀφειλόμενον — αὔξῃς κτέ., quae verba pendent a verbis χρή ςε — ςτᾶμεν.

Vs. 57 ἦ ρα Μηδείας ἐπέων ςτίχες. Probabilior saltem, quantumvis incerta, est Hartungi correctio ταί ρα κτέ. quam Bergkiana (ed. III) ἦ ρα καὶ Μήδει᾽ ὀπίςω ςτίχεν, quod cur Medea faceret, non apparet. Altera, quam idem proposuit in ed. IVta, barbarismo ἐπτάξαντο pro ἔπταξαν falsa esse arguitur. Soloecum est quod supra vs. 30 coniecit (ed. III) ἐπαγγέλλων παραςχεῖν, ubi saltem debuerat παρέξειν, sed ne hoc quidem admittendum.

Vs. 98 καὶ τίς ἀνθρώπων ςε χαμαιγενέων πολιᾶς ἐξανῆκεν γαςτρός; Pro absurdo πολιᾶς, quod parum feliciter tuetur Mezger, Hartung coniecit ςκοτιᾶς. Equidem teneo quod olim proposui: τίς — ποτε Ϝᾶς ἐξανῆκεν γαςτρός;

Vs. 126. ταχέως δ᾽ Ἄδματος ἷκεν καὶ Μέλαμπος εὐμενέοντες ἀνέψιον. Mezger 'ἀνεψιόν von' εὐμενέοντες abhängig (sic); die Verbindung von ἀνεψιόν mit ἷκεν liesse sich zwar durch Isthm. II 48 vertheidigen, wird aber durch den Rhythmus unmöglich gemacht'. Quod si ita sit (aliter enim sentire videtur auris Bergkiana), utique necessaria est Hartungi correctio ἀνέψιοι, nam εὐμενεῖν cum quarto casu iungi posse praeter Mezgerum vix quisquam credet. Legendum arbitror: ἷκον (Bergk) — εὐμενέοντες ἀνέψιοι.

Vs. 127 ἐν δαιτὸς δὲ μοίρᾳ μειλιχίοιςι λόγοις αὐτοὺς Ἰάςων δέγμενος κτέ. Praestare videtur ἐν (Boeotice dictum pro ἐς) δαιτὸς δὲ μοῖραν κτέ. Eiusdem librariorum erroris hunc usum ignorantium alia exempla infra videbimus ad Pyth. VIII 69 et Isthm. I init.

Vs. 142 μία ΒΟΥϹ Κρηθεῖ τε μάτηρ καὶ θραϲυμήδεϊ Ϲαλμωνεῖ. Incredibilis me iudice locutio, et minime persuadent quae de ea dixerunt veteres recentioresque interpretes. Longe v. c. diversum esse, quod attulit Boeckhius, si Aeschylus furentem Casandram exclamantem fecerit ἄπεχε τῆϲ βοὸϲ τὸν ταῦρον, nemo est quin monitus saltem sentiat. Gravis me tenet suspitio vocabulum errore natum esse ex Boeotico ΦΟΥ male intellecto, Pindaroque reddendum esse: μία φῦ Κρηθεῖ τε μάτηρ καὶ θραϲυμήδεϊ Ϲαλμωνεῖ.

Vs. 154. ἄνευ ξυνᾶϲ ἀνίαϲ. Verte 'sine communi dolore' i. e. sine rixa, quod moneo propter Mezgerum verba perperam intellegentem. Mox non recte Bergk coniecisse videtur ἐξ ἀϲτῶν pro ἐξ αὐτῶν.

Vs. 170 ὤρνυεν κάρυκαϲ ἐόντα (corruptum. Bergk ἔταιϲι, sed non placet prolepsis) πλόον φαινέμεν παντᾷ· τάχα δὲ — ἦλθον —, δοιοὶ δ' ὑψιχαῖται ἀνέρεϲ, Ἐννοϲίδα γένοϲ, αἰδεϲθέντεϲ ἀλκάν, κτέ. Scribere sane potuit Pindarus, quod coniecit Christ, Ἐννοϲίδα γενεά, βλέποντεϲ ἀλκάν. Cf. Ol. IX 119; sed, non apparente tanti erroris causa, ea correctio probabilis non est. Propius ad codicum scripturam Bergk ᾇ Ϝαϲθέντεϲ ἀλκᾷ proposuit, sed vide quid ipse vir ingeniosus obiciat. Nota Homerica locutio ἐπιϜειμένοι ἀλκάν fecit ut cogitarem de reponendo ἐϲθηθέντεϲ, sed a verbo ἐϲθεῖν solum perfecti passivi participium formasse videntur, quod praeterea in ea re aptius est. Hoc igitur repudiato, suspicor ἀμναϲθέντεϲ (i. e. ἀναμναϲθέντεϲ) ἀλκᾶϲ vel ἅϲ μναϲθέντεϲ ἀλκᾶϲ, suae memores virtutis.

Vs. 199. ἀμπνοὰν — ἔϲταϲαν. Explicant ἀνέπνευϲαν. Recte haberet, si animo deiecti fuissent fortissimi heroes, quod poetam significare voluisse non est veri simile. Sensisse videtur Coraes, qui acute proposuit (lettres inédites) ἄμπλοον δ' ἥρωεϲ ἔϲταϲαν θεοῦ ϲάμαϲιν πιθόμενοι. Insuper dubiae mihi Graecitatis videtur ἱϲτάναι ἀναπνοάν, quod non satis tuentur locutiones ἱϲτάναι βοήν, κραυγήν, similia.

Vs. 213 ἔνθα κελαινώπεϲϲι Κόλχοιϲιν βίαν μῖξαν Αἰήτᾳ παρ' αὐτῷ. Duo ultima vocabula manifesto mendosa sunt. Corrige Αἰήτᾳ τ' ἀγαυῷ. Cf. infra 241, ubi Aeëtes vocatur Ἀελίου θαυμαϲτὸϲ υἱόϲ. Nunc video iam Schmidtium eodem sensu legendum suasisse τ' ἀγαυρῷ, qua forma Hesiodus Theog. 832 (cf. Herod. VII 57) usus esse traditur. Sed Pindaricum est ἀγαυόϲ. Vid. supra vs. 72 ἀγαυῶν Αἰολιδᾶν et fragm. ap. Plat. Menon. p. 813 vs. 4 βαϲιλῆεϲ ἀγαυοί. Idem vocabulum Bergkius poetae reddidit Pyth. VIII extr. pro librorum lectione καὶ ἀγαθῷ.

Vs. 263 γνῶθι νῦν κτέ. Procul dubio recte interpretibus praeter Mezgerum haec ad sequentia respicere videntur, non ad praegressa. Sequitur enim griphus 'Nunc, Arcesilae' ait poeta 'sollertiae tuae periculum faciam, an solvere mihi possis hoc aenigma et intelligas, quo pertineant quae dicam'. Quem griphum optime solvisse mihi videtur praeclarum Boeckhii acumen, nisi quod propter verba ἄλλοιϲ

ἐν τείχεσιν et ἑὸν ἐρημώσασα χῶρον potius cogitaverim de populo principibus orbo revera a peregrino rege (Aegyptium puta) abacto in servitutem, quam sponte sua alieno accedenti imperio.

Vs. 229 ἀνὰ βωλακίας δ' ὀρόγυιαν σχίζε νῶτον γᾶς. Iudice Bergkio (ed. IV) collocatio praepositionis obstat quominus eam per tmesin a verbo σχίζειν diremptam putemus. Revera ubicumque tmesis apud Pindarum obtinet, praepositionem statim excipiunt particulae δέ, γάρ, τέ, μέν, sim. Cf. Ol. VII 43, 45, X 73, Pyth. I 82, II 9, 12, Nem. IX 8, 33. Vere mihi correxisse videtur Hartung ἀνὰ βώλακας, ἐς δ' ὀρόγυιαν κτἑ.

Vs. 244. κεῖτο γὰρ λόχμᾳ, δράκοντος δ' εἴχετο λαβροτατᾶν γενύων. Peringeniosa est Bergkii correctio κεῖτο γὰρ λόχμᾳ δράκων, τοῦ λείχετο λαβροτάταιν (codd. λαβροτάταν) γενύοιν κτἑ., asyndeto, ut ait, deterriti a leniore medicina κεῖτο γὰρ λόχμᾳ δράκοντος, λείχετο. Recte, opinor, sed alteri coniecturae parum favet triplex in eadem sententia pronomen relativum τοῦ λείχετο — ὃς πάχει — τέλεσαν ἂν κτἑ. Hinc mihi venit in mentem annon corrigere praestet: κεῖνο (sc. τὸ δέρμα) γὰρ λόχμᾳ δράκοντος λείχετο λαβροτάταιν (λαβροτάτοιν?) γενύοιν.

Vs. 245 πεντηκόντΟρον. Fieri potest ut varia lectio πεντηκόντΕρον, utpote librariis minus cognita, genuina sit. Cf. libellus meus: Lapidum de dial. Att. test. p. 67 s. v.

Vs. 281 κεῖνος γὰρ (Damophilus) ἐν παισὶν νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς ἐγκύρσαις ἑκατονταετεῖ βιοτᾷ, ὀρφανίζει μὲν κακὰν γλῶσσαν φαεννᾶς ὀπός, ἔμαθε δ' ὑβρίζοντα μισεῖν. Absurda mihi oppositio (hanc enim speciem offert haec verborum collocatio) videtur ἐν παισίν — ἐν δὲ βουλαῖς, nec tam iuvenis fuisse videtur homo exul, ut inter pueros censeri a poeta posset. Expectabam ἐν πράξει, ἐν Ϝέργοις, aut aliquid simile. Etiam verba ὀρφανίζει — ὀπός num satis sana sint dubito. Vertunt privat maledicentiam clara voce, putantque dicere poetam Damophilum tam probum esse, ut ipsa maledicentia obmutescat. Ne nunc urgeam mire maledicentiae tribui φαεννάν, quod in laude poni solet, ὄπα, mireris hoc dici de exule, quem prae ceteris maledicentiae obnoxium fuisse par est, tum hic non agitur de universa eius probitate, hoc enim poeta satis supra declararat dicendo ἐπέγνω μὲν Κυραία καὶ τὸ κλεεννότατον μέγαρον Βάττου δικαιᾶν Δαμοφίλου πραπίδων, sed h. l. poeta qualis fuerit illa probitas pluribus persequitur: 'Prudentissimus est iudiciique maturitate insignis .... odit superbos et insolentes, favet bonis, non est cunctator et in omni re opportunitatem servat, cui tamen libero non servili animo obtemperat'. Quo tandem pacto hic locus esse potest sententiae: ita probus est ut ipsa maledicentia obmutescat? Contra requiritur sententia: ab omni maledicentia alienus est, qua simul poeta innuat Damophilum semper abstinuisse ab iniuriosis in regem, qui ipsum in exilium pepulerat, sermonibus. Potuitne aliquid dicere, quod ad Arcesilai animum demulcendum magis

foret idoneum? Non puto, et hoc revera dixit, si recte conieci hanc fuisse poetae manum: ὀρφανίζει μὲν κακᾶς γλῶσσαν φαεννὰν ὀπός, i. e. liberam servat a maledicentia claram suam vocem. Similiter poeta usus est adiectiva ὀρφανός Isthm. IV 7 ὀρφανοὶ ὕβριος.

Vs. 275 τὶν δὲ τούτων ἐξυφαίνονται χάριτες. Iniuria dubitatum est de huius verbi sanitate. Cf. Pyth. IV 140 (Nem. IV 45), sed non satis aptum est τούτων. Corrigendum censeo τούτῳ γ', scil. τοῦ θεόν σοι κυβερνατῆρα γενέσθαι. Dorica genetivi forma induxit librarios. Cf. Bergk ad vs. 255 h. c.

Vs. 291 λῦσε δὲ Ζεὺς ἄφθιτος Τιτᾶνας. Iniuria Bergk mavult ἀφθίτους. Sententia enim haec est: 'summus deus immortalis vinculis solvit Titanas, qui insolentia ipsum laeserant; tunc mortalis exilio non liberabis hominem innocentissimum, ὃς ἔμαθεν ὑβρίζοντα μισεῖν?'. Cf. 297.

Vs. 293. Cf. 270.

Pyth. V 17 ὅτι βασιλεὺς | ἐσσι μεγαλᾶν πολίων | ἔχει συγγενὴς | ὀφθαλμὸς | αἰδοιέστατον γέρας, τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί. Vel correcto cum aliis συγγενές et αἰδοιότατον, probabilem sententiam ex his verbis elicere non queo, nisi simul mutatis ἔχει et ὀφθαλμός, et deleta virgula post γέρας. Conieci: ἔχων (cum Hartungio) συγγενὲς | θνατοῖσιν | — γέρας τεᾷ — φρενί, i. e. habens hereditarium istud honoratissimum mortalibus munus cum tua iunctum sapientia. Sed fortasse lenius corrigere licet ὀφθαλμοῖς (hominum scil.), ut poeta admiserit molossum pro antibacchio non aliter quam infra vs. 100 ῥανθεισᾶν, si recte eam lectionem tuitus est Bergkius.

Vs. 33 ποδαρκέων, veloci pede (equorum sc.) percurrens, iniuria in ποταρκέων refinxit Boeckhius.

Vs. 112 θάρσος δὲ τανυπτέροις ἐν ὄρνιξιν αἰετὸς ἔπλετο· ἀγωνίαις δ' ἕρκος οἷον σθένος, i. e. ἐν δ' ἀγωνίαις (ἔπλετο τοιοῦτος τὸ σθένος), οἷον (πέλεται τὸ σθένος) ἕρκος. Non recte igitur Bergk in ed. IVta diremptis litteris scripsit οἷ' ὅν, in quo praeterea inepte abundat pronomen possessivum. Nec rectius idem mutasse videtur vulgatam scripturam vs. 107 sq.

Vs. 120 μὴ φθινοπωρὶς ἀνέμων χειμερία καταπνοὰ δαμαλίζοι χρόνον. Probabiliter olim Hecker correxit θρόνον pro χρόνον, sed verbum non est sanius. Graecum non est quod aliquando proposuit Bergk χθαμαλίζοι, sed in ed. IVta edidit δνοπαλίζοι πότμον. Mihi placet πελεμίζοι θρόνον. Cf. Nem. VIII 28.

Pyth. VI 12 τὸν οὔτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθών, ἐριβρόμου νεφέλας στρατὸς ἀμείλιχος. Per se rectissime dicitur στρατὸς ἐπακτός (cf. Aesch. Sept. 583 et 1019), sed in hac imagine ineptum id esse non latuit Bergkium, qui minus feliciter olim, ut ipse agnovit in ed. IVta, coniecit ἐπᾳκτός vel ἀικτός, qualia adiectiva a verbis intransitivis non formantur. Mihi quidem haud displiceat:

ἄϊγδ' ἐπελθών, licet hodie ante poetas Alexandrinos ἄϊγδα non videatur reperiri. In sqq. rectius vulgo verba φάει δὲ πρόσωπον ἐν καθαρῷ praeeunte schol. referuntur ad hymnorum thesaurum quam ad Thrasybulum, ut nuper fecit Mezger. Poetae sunt ἄγγελοι eorumque carmina ἀγγελίαι.

Vs. 29 ἔγεντο καὶ πρότερον Ἀντίλοχος βιοτὰς νόημα τοῦτο φέρων. An τρέφων? Sic Pyth. V 109 κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται.

Pyth. V 42 statua ex uno stipite facta permire vocatur μονόδροπον φυτόν. Nam δρέπειν de caedendo arbore inauditum est, nec φυτόν optime dici videtur opus artis. Expectaveram μονόδρυον τυπόν, et μονόδρυον iam Hartungium coniecisse video insuper proponentem μονόδρυφον, quod non melius est quam μονόδροπον.

Pyth. VII 5 τίνα τ' οἶκον δίων ὀνυμάξομαι egregia est Bergkii (in ed. IVta) emendatio pro ναίων, sed melius reticuisset se aliquando coniecisse δήων, quaerens. Quippe δήειν numquam non futuri significationem habere res in vulgus nota est.

Vs. 20 omnino probanda videtur Hermanni interpretatio iungentis οὕτω παρμονίμαν, ut τὰ καὶ τά sint tam bona quam mala. Nec ἀνδρί pendet a φέρεσθαι sed a παρμονίμαν, quod ipsa prodit verborum structura. Sententia: aiunt autem tam perpetuo florentem felicitatem iuxta bona etiam minus grata quaedam necessario secum ferre.

Pyth. VIII 8. τὺ δ' ὁπόταν τις ἀμείλιχον καρδίᾳ κότον ἐνελάσῃ. Schol. ἐνθῇ. Mezger: Eigentlich ‘gewaltsam hineintreibt in das widerwillige (zu Milde geneigte) Herz’. Contra humanam naturam, ut arbitror: nemo mortalium ipse pectus suum cogit ad iram. Locus non videtur vitii immunis. Conieci: ὁπόταν τις ἀμείλιχον καρδίαC κότον ἐΠελάσῃ, scil. *aliis*, sumta imagine ab equite equum suum immittenti adversariis. Nisi forte praestat ὁπόταν τις ἀμείλιχοC καρδίαιC κότοC ἐπελάσῃ, ubi immanis simultas (civium) corda invaserit; ut ἐπελαύνειν, quomodo saepe alias, sit intransitivum.

Vs. 13. λάθεν. Incredibile dictu est librorum lectionem μάθεν, merito abiectam ab omnibus, nuper patronum nactum esse Mezgerum, non disertissimum tamen; nullo enim utitur argumento. Nimis bene, ut arbitror, et ad perniciem suam Ἡσυχίας vim didicit atque expertus est Porphyrion. Perpetuo utrumque verbum confundi a librariis pauci ignorant.

Vs. 18 κεραυνῷ τόξοισί τ' Ἀπόλλωνος. Recte plerique intellegunt Iovis fulmen, licet Iupiter aliis diis fulmen subinde commodet, velut ipsi Apollini apud Soph. O. R. 468. Sed unum teli genus Apollini sufficiebat et recte Typhoeum a Iove, Porphyrionem ab Apolline occisum esse monuit Boeckhius. Iovis nomen reticens Apollinis potissimum commemorat, quo facilis et elegans fieret transitus ad sequentes Aristomenis propter Pythicam victoriam laudes.

Vs. 21 ἔπεϲε δ' οὐ Χαρίτων ἑκάϲ. Oblitterata olim videtur forma Aeolica ἔπετε, quam se in exemplaribus non reperire miratus videtur is qui in libri P margine adnotavit οὐχὶ ἔπετε. Nam infra 81 legitur ἔμπετεϲ, nec probabile videtur in eodem carmine poetam utramque verbi formam, communem et dialecticam, adhibuisse. Similiter apud Pindarum haud ita raro ἀμεύεϲθαι in ἀμείβεϲθαι, πεδά in μετά, ξυνόϲ in κοινόϲ, κλεννόϲ in κλεινόϲ, aliasque formas dialecticas in communes a librariis mutatas esse probabilis est suspitio. Adhibendam tamen esse in restituendis illis magnam cautelam apparet ex locis, qualis est v. c. Pyth. IV 133, ubi παρεκοινᾶθ' metro tutum est et excluditur παρεξυνᾶθ'.

Vs. 29 εἰμι δ' ἄϲχολοϲ ἀναθέμεν πᾶϲαν μακραγορίαν λύρᾳ τε καὶ φθέγματι μαλθακῷ, μὴ κόροϲ ἐλθὼν κνίϲῃ. Haec fuit poetae mens: 'neque otium mihi suppetit (nec, si suppetat, eo abutar), ut multus sim in singulis commemorandis, cett.'. Breviloquentiae parcere potuerat scribendo εἰμι δ' ἄϲτομοϲ, ore meo non utar, ut cett., sed nihil mutandum. Alia contractae orationis exempla reperies Ol. VII 23, Pyth. IX 78, Nem. VIII 27, Isthm. IV 15 sq., Fragm. 112. Ad rem cf. Pyth. IX 76 sqq. Quamquam properans ad ipsum victorem celebrandum, reliquos tamen (vs. 28 τὰ δὲ καὶ ἀνδράϲιν ἐμπρέπει), quorum laudibus immorari nolebat, scite tangit vs. 36, Midulidarum Theogneti et Clitomachi palmas Olympicas et Isthmiacas una cum hac victoria Pythica commemorans.

Vs. 38 κτεάνων φύλαξ ἐμῶν. Sine causa idonea hinc efficiunt poetam in Alcmanis sacello pecuniam suam deposuisse. Quod in templorum thesauris interdum factum esse novimus, in sacellis ignoramus, nec probabile est. Nihil aliud dicit poeta, quam heroem suis aedibus vicinum suae rerumque suarum saluti invigilare.

Vs. 69 ἀμφ' ἕκαϲτον ὅϲα νέομαι. Mezger 'entweder mit dem blossem Acc. verbunden, wie Hom. Il. VII 335, oder man hat zu ὅϲα aus dem vorhergehenden ἀμφί zu ergänzen, = versari in aliqua re, persequi aliquid'. Utrumque soloecum est; nam quod dici potest νέεϲθαι πατρίδα γαῖαν (spurios esse eos versus nunc nihil moror), inde non sequitur, opinor, Graecum esse νέεϲθαί τι (χρῆμα, πρᾶγμα), nec ἀμφ' ὅϲα νέομαι ullo modo significare posse id quod putat vir doctus, satis manifestum est. Quo intellecto, ut puto, Bergk recepit lenem Mingarelli correctionem νέμομαι, quod tamen verbum satis aptum esse dubitans ipse conicio:

ἀμφ' ἕκαϲτ' ἐν ὅϲα νέομαι,

i. e. quae aggredior, ut ἐν Boeotice positum sit pro ἐϲ. Cf. supra ad Pyth. IV 127 et infra ad Isthm. I sqq.

Vs. 74 πολλοῖϲ ϲοφὸϲ δοκεῖ πεδ' ἀφρόνων. Cum Tafelio iungi non posse πολλοῖϲ πεδ' ἀφρόνων hodie latet neminem. Boeckh et Dissen iungentes ϲοφὸϲ πεδ' ἀφρόνων falluntur, ille explicans contra sermonis proprietatem, apud stultos, hic inter stultos. Non succedente interpretatione, Bergk rescripsit ϲοφοῖϲ, quo nihil

lucramur. Melius Hartung πολλοῖς σοφὸς δοκεῖ παραφρόνων βίον κορυσσέμεν ὀρθοβούλοισι μαχαναῖς, in qua scriptura hoc tamen offendit, quod inde sequeretur partem stultorum rectius sentire, id quod poeta dicere vix potuit. Novissime denique Mezger proposuit πέρα φρονῶν, contendens scholiastas interpretari praepositionem περί, non πεδά, nec legisse ἀφρόνων. In cuius rei fidem duo affert scholia, quorum prius hoc est: εἴ τις ἄνευ πόνου ἀγαθόν τι περιεκτήσατο, τοῦτον οἱ ἄλλοι [πολλοί?] τῶν ἀνθρώπων δοκοῦσι σοφὸν εἶναι, καὶ τοῦτο ἐκ τῆς σοφίας δοκεῖ οὕτω περιπεποιῆσθαι. At περικτᾶσθαι sequioribus nihil aliud est quam κτᾶσθαι, et omnium usu tritum est περιποιεῖσθαι pro κτᾶσθαι, ut taceam omnium hominum stolidissimum hunc scholiastam fuisse, si sic interpretatus sit περί, lectum pro πεδά. Alterum autem scholium hoc est: ταῦτα δ' οὐκ ἔστιν ἐν ἀνθρώποις τὸ ἐκ περινοίας κτήσασθαι, quo nihil dicitur quod non facillime e tradita lectione effici poterat. Scholiis igitur non confirmatur Mezgeri coniectura, cui hoc obstat, quod eiusmodi homines vulgo non videntur πέρα φρονεῖν i. e. nimium sapere, sed multum sapere. Ego cogitavi de reponendo σοφῶς — περιφρονῶν, sapienter considerans, aut σοφὸς — περισσόφρων, egregie sapiens, sed nihil affirmare ausim.

Vs. 78 μέτρῳ κατάβαινε. Mezger 'gehe in den Schranken des Masses einher = hüte dich vor Uebertreibung'. Ubi vero καταβαίνειν est incedere? Lingua certe permittit Bergkii interpretationem de descendendo in certamen haec verba intellegentis. At vix poeta victorem, quem celebrabat, a nimio certaminum studio dehortari poterat. Potius more suo ad modestiam iuvenem hortari expectatur, itaque delitescere hic aliquid videtur, quod respondeat sententiae, quam Mezgerus loco subesse putat; v. c. μέτρῳ καλὰ πάντ'· ἐν Μεγάροις δ' ἔχεις γέρας κτέ.

Vs. 76 δαίμων δὲ παρίσχει ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βάλλων ἄλλον δ' ὑπὸ χειρῶν. Quia ἄλλοτ' ἄλλον iam significat modo hunc modo illum, manifesto locus non est novo ἄλλον in sequentibus. Quo intellecto, Madvig parum feliciter in Adversariis Criticis ἄλλος δ' rescribi iussit; Bergkius autem difficultatem in repetito ἄλλον removere studuit substituendo pro ὑπὸ χειρῶν verbo Graecis incognito ὑποχειρῶν. Mihi corrigendum videtur ἄλλου θ' ὑπὸ χειρῶν. Verte: modo hunc modo illum alii superne iniciens aut manibus (eius) subiciens. Pindarus hic, ut saepius poetae Graeci, notionem ad utrumque membrum pertinentem in altero tantum posuit. Ad Genetivum post ὑπό conferatur Hesiod. Theog. 717 τοὺς μὲν ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης πέμψαν.

Vs. 92 ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί, ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον. Procul dubio verius Boeckh aliique ἀπότροπον γνώμαν, aversum animum, tribuunt Deo aut Fortunae, quam Mezger ipso gaudio, quandoquidem σεσεισμένον manifesto vim spectat aliquam externam. Comparatur enim τὸ

τερπνόν cum planta vel flore, qui, ut celeriter crescit, ita vento concussus brevi humi cadit. Non tamen diffiteor poetam permittentibus numeris planius canere potuisse ἀποτρόπῳ τύχᾳ (vel πότμῳ) σεσεισμένον, et fieri sane potest ut superscriptum glossema τύχας γνώμᾳ eiusmodi scripturam oblitteraverit.

Pyth. IX 23 τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν παῦρον ἐπὶ γλεφάροις ὕπνον ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ. Dissentiunt commentatores. Boeckhio iudice, Cyrene dicitur somnum non in auroram extraxisse; Dissenium si audis, non nisi versus auroram, ubi tutas crederet a ferarum impetu pecudes, paullisper somno vacasse, sed noctu vigilasse. Cui sententiae ita favet universi loci ratio, ut haud aliud dixisse poeta videatur, sed molestiam creat verbum ῥέποντα, quod non delapsum, sed vergentem significat. Et locum non integrum ad nos pervenisse testatur quoque vitium metricum, quod Triclinius tollebat reponendo barbaram formam ἀνλίσκοισα, Schmidt legendo ἀλδίσκοισα (debuerat certe ἀλδήσκοισα), sed enim, qui somno parce fruuntur, minus recte eum alere dicuntur, ut arbitror. Rectius igitur Bergk transposuit: τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν ὕπνον ἐπὶ γλεφάροις παῦρ᾽ ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ.

Qua transpositione admissa, litteris aliter diremptis ipse corrigebam ἀναλίσκοισ᾽ ἄρ᾽ ἑπόντα πρὸς ἀῶ, somno qui erat in palpebris versus auroram parce igitur fruens. Sed licet quodammodo ferri possit particula ἄρα, quia hoc erat consequens ex praegressis, non tamen nego me eam voculam abesse malle, itaque paullo maiore molimine elegantius nunc locum sic corrigere mihi videor: τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν ὕπνον ἐπὶ γλεφάροις παῦρ᾽ ἀναλίσκοισα πετόντα (= πεσόντα) πρὸς ἀῶ. Cf. locutiones ἐπ᾽ ὀφθαλμοῖς πίπτειν, ἐπ᾽ ὄμμασι βάλλειν, sim.

Vs. 29 αὐτίκα δ᾽ ἐκ μεγάρων Χείρωνα προσέννεπε φωνᾷ. De templo Delphico cogitari non posse cl. vs. 31 recte monet Mezger, sed perperam intellegit Chironis antrum; quid enim sibi vult alloqui aliquem ex antro? Nam loco Isthm. V 15, quo provocat, προσεννέπειν nihil praeter solitum significat. Eadem res premit Bergkii coniecturam ἐκ μελάθρων, nec quid magnopere adiuvemur loco quem citat Iliadis Σ 210, ubi ἐκ significat ἐκτός, non ἔξω, perspicere me confiteor. Aliud latere bene intellexit Heimsoethius, sed viri eximii, quem semper lugebo, coniectura ἐμμεμαώς vereor ut ipsi hodie, si in vivis esset, placeret. Nec facile dictu est quid poeta dederit, sed suspicor delitescere adiectivum aliquod iungendum cum φωνᾷ, quia nudum illud φωνᾷ nimis otiosum esse videtur. An fuit: αὐτίκα δ᾽ ὧν μεγάλᾳ Χείρωνα προσέννεπε φωνᾷ· Σέμνον ἄντρον, Φιλυρίδα, προλιπὼν κτέ.? Si cui nudum φωνᾷ non displicet, poterit quoque: αὐτίκα δ᾽ ἐκκαλέων κτέ. Utrumque aptum, sed quod certum sit desidero.

Vs. 31 θαύμασον οἷον ἀταρβεῖ νεῖκος ἄγει κεφαλᾷ μόχθον

καθύπερθε νεᾶνιϲ ἦτορ ἔχοιϲα. Incredibilia molitur Bergk coniciens οἷον ἀταρβῆϲ νεῖκοϲ ἄγει κεφαλὰν μόχθου καθύπερθε καὶ ἦτορ νεᾶνιϲ ἔχοιϲα. Facili coniectura olim Schneidewin correxerat κραδιᾷ, sed Bergkio nihil egisse videtur.

Vs. 36 ὁϲία κλυτὰν χέρα προϲενεγκεῖν ἦρα, καὶ ἐκ λεχέων κεῖραι μελιαδέα ποιάν; Rectius haud dubie sic Mommsen et Bergk ediderunt quam προϲενεγκεῖν, ἦ ῥα, ut vulgo editur, qua lectione inepte disiunguntur quae iungenda sunt. Neque aliter locum intellexit vetus scholiasta: ἆρα ὅϲιόν ἐϲτι — καὶ ἐκ τῶν κοιτῶν κτἑ. Permira tamen est ista particularum sedes, quapropter conieci ἦκα, leniter, ut amans, non feroci impetu, ita ut puellam terreret infestamque sibi redderet. Cf. Hom. Ω 508 et c 92, 94. Ῥεῖα, de quo forsitan aliquis cogitet, aptum non est.

Vs. 67 ὠκεῖα δ᾽ ἐπειγομένων ΗΔΗ θεῶν πρᾶξιϲ. Languet ἤδη, quod num scholiastae legerint dubites. Expectaveram potius ΑΙΕΙ, αἰεί. Mox διαίταϲεν valet διέκρινεν.

Vs. 113 sqq. in ed. IVta sic correxit Bergk: πατὴρ δὲ θυγατρὶ φυτεύων | κλεινότερον γάμον, ἄκουϲεν Δαναόν ποτ᾽ ἐν Ἄργει | οἷον εὑρεῖν (libri εὗρε vel εὗρεν) τεϲϲάρακοντα καὶ ὀκτὼ παρθένοιϲι, πρὶν μέϲον ἆμαρ, ἑλεῖν | ὠκύτατον γάμον· ἔϲταϲεν γὰρ κτἑ. ut οἷον neutrum sit, non iungendum cum substantivo γάμον. Facilius intellegam: οἷον εὑρών, — ἕλεν, i. e. audivit, quo invento Danaus aliquando filiabus celerrimum matrimonium paraverit. Ac facile sane librarii ΕΛΕΝ habere potuerunt pro infinitivo.

Pyth. X 15 ἔθηκε καὶ βαθυλείμων᾽ ὑπὸ Κίρραϲ ἀγὼν πέτραν κρατηϲίποδα Φεικίαν. Sine controversia, vere Hartung: θῆκεν δὲ καὶ βαθυλείμων — πέτραϲ, quod vero simul transponit πέτραϲ ἀγών, id neque aurium iudicio comprobatur neque vulgatus verborum ordo in Pindaro quidquam habet insoliti. Vide v. c. Pyth. XI 14 ἑϲτίαν τρίτον ἐπὶ ϲτέφανον πατρῴαν βαλών. Cf. Nem. I 44 sq. aliique loci bene multi.

Vs. 37 Μοῖϲα δ᾽ οὐκ ἀποδαμεῖ τρόποιϲ ἐπὶ ϲφετέροιϲ. Si quis mecum fidem non habet Bergkii effato poetam dedisse δρόποιϲ, quae sit primigenita forma substantivi δόρποϲ, quod descendat a δρέπειν (= ἐϲθίειν?), suspicetur potius Pindaro reddendum esse πότοιϲ, i. e. ϲυμποϲίοιϲ (Hyperboraeorum).

Pyth. XI 24 ἑτέρῳ λέχεϊ δαμαζομέναν (Clytaemnestram) ἔννυχοι πάραγον κοῖται. Bergk in ed. IIIta suspicatus δακναζομέναν non de Aegisthi adulterio, sed de furtis Agamemnonis hic agi recte observasse mihi videtur, licet in ed. IVta eam sententiam retractaverit. Si enim de Clytaemnestrae cum Aegistho consuetudine sermo esset, nihil erat cur omnia illa, quae deinde de potentium invidia dicuntur, a poeta adderentur; nam manifesto ea verba potius Agamemnonem spectant, inclytum regem et belli ducem, quam mulierem. Verte: hoc enim (maritorum infidelitas) uxoribus iuvenilibus maxime invisum peccatum est et propter linguarum alienarum im-

potentiam difficulter eas celatur; maledici enim cives, habetque magna potentia non minorem invidiam, sed humiliter viventes vix animadvertuntur. Cf. Soph. Ai. πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ᾽ ὁ φθόνος ἕρπει κτέ. Scire autem pervelim, quo pacto qui cum scholiis antiquis de Clytaemnestrae adulterio agi putant ferant vs. 26 ἔχθιστον, quod ita procul dubio cum Heckero in αἴσχιστον mutandum foret. In versione mea admisi Hartungi emendationem μέγας pro τε γάρ, quam propter sequens οὐ μείονα necessariam esse iudico. Quod idem pro ἴσχει corrigit κἴσχει id minus probaverim, quia in gravibus sententiis Pindarus sectatur asyndeta. — ἄφαντον βρέμει. Eorum quae humili loco nati faciunt, rumor non venit ad hominum aures.

Vs. 41 Μοῖσα, τὸ δὲ τεόν, εἰ μισθοῖο συνέθευ παρέχειν φωνὰν ὑπάργυρον, ἄλλοτ᾽ ἄλλᾳ ταρασσέμεν, ἢ πατρὶ Πυθονίκῳ τό γε νῦν ἢ Θρασυδαίῳ. Locus perobscurus et corruptus, nec sanabilis iis coniecturis quas recenset Bergkius in ed. IVta. In promptu tamen est facile et certum remedium. Manifesto enim verborum nexus hanc postulat sententiam: At Musa, tuum est, si mercede pacisci soles, praebituram te alias alii vocem pretio conductam, nunc quidem eam praebere aut patri victori aut Thrasydaeo (qui nunc te conduxit). Nempe corrigendum: Μοῖσα, τὸ δὲ τεόν, εἰ μισθοῖο συνέθευ παρέχειν φωνὰν ὑπάργυρον ἄλλοτ᾽ ἄλλῳ, παρασχέμεν ἢ πατρὶ Πυθονίκῳ τό γε νῦν ἢ Θρασυδαίῳ. Quibus nihil est planius, nec praeferendum videtur quod prius conieci γέρας θέμεν, i. e. honorem tribuere, licet ne hoc quidem male legeretur. Cf. Isthm. I 14. Sed alterum et lenitate et simplicitate magis commendatur.

Nemeonic. I 24 λέλογχε δὲ μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ καπνῷ φέρειν ἀντίον. Locus obscurior, sed sententiae subiectum esse ἀνὴρ φιλόξεινος (20) (i. e. Chromius) satis certum puto, nec audiendum esse Rauchensteinium, qui Aristarchum secutus λέλογχε impersonale esse et iungendum cum dativo existimet. Ad dativum quod attinet testem recuso Strabonem IX 443 extr., cui de antiqua graecitate testimonii dictio non est, quemque ΔευκαλίωνΑ non ΔευκαλίωνΙ dedisse in verbis ἔνιοι δὲ — τὴν μὲν πρὸς νότον (Θετταλίαν) λαχεῖν φασὶ Δευκαλίωνι habeo persuasissimum.

Vs. 46 ἀγχομένοις δὲ ΧΡΟΝΟΣ ψυχὰς ἀπέπνευσεν μελέων ἀφάτων. Locus procul dubio mendosus, sed non probabile est haec nata esse e lectione tam expedita qaum foret ἀγχόμενος δὲ χρόνῳ ψυχὰς ἀπέπνευσαν, quae est Mingarelli coniectura. Nec ipsum χρόνῳ in hac narratione, quae incredibiles vires infantis Hercules celebrat, aptum est; quod sensisse videtur Bergk, qui primum coniecit ἀγχόμενοι δὲ λέχρις ψ. ἀπέπνευσαν, quod non satis intellego, deinde in novissima editione: ἀγχομένοις δ᾽ ἄτρομος ψυχὰς ἀπέπνευσεν, ut poeta dixerit ἀπέπνευσεν pro ἀπέπνιξεν scilicet. Quod si fecisset, bis peccasset contra graeci sermonis proprietatem; nam ne ἀπέπνιξεν quidem ψυχάς Graeca est compositio. Non magis

autem χρόμος, quae est Schmidtii coniectura pro χρόνος, dici potuit ψυχὰς ἀποπνεῦσαι. Mihi latere videtur vox, quae fauces significet easque hiantes; hae enim recte spiritum reddere dicuntur. Tale autem est servatum ab Hesychio χάνος· στόμα. Cf. χάσμα. Scribam igitur ἀγχομένοις δὲ χάνος ψυχὰς ἀπέπνευσεν μελέων ἀφάτων.

Vs. 50 καὶ γὰρ αὐτὰ παισὶν (egregie Bergk pro ποσσὶν) ἄπεπλος ὀρούσαις' ἀπὸ στρωμνᾶς, ὅμως ἄμυνεν ὕβριν κνωδάλων. Quia ὅμως (male Christ edidit ὁμῶς) pertinet ad ἄπεπλος valetque καίπερ, potius interpungam ἀπὸ στρωμνᾶς ὅμως, ἄμυνεν κτέ.

Nem. II 12 Ὠαρίωνα νεῖσθαι. Bergk ed. IVta Ὠαρίων' ἀνεῖσθαι, i. e. ἀνανεῖσθαι. Credam, ubi primum probaverit ἀνεῖσθαι, orthographia tantum diversum ab ἀννεῖσθαὶ, recte corripere primam syllabam.

Nem. III 19 εἰ δ' ἐὼν καλὸς ἔρδων τ' ἐοικότα μορφᾷ ἀνορέαις ὑπερτάταις ἐπέβα παῖς Ἀριστοφάνευς, οὐκέτι πρόσω ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ Ἡρακλέος περᾶν εὐμαρὲς κτέ. Vulgo sumunt apodosin incipi ab οὐκέτι, mente supplentes ἴστω ὅτι, quam licentiam sane poetae concederem, nisi inepta tautologia dictum videretur: si summum virtutis fastigium tetigit, longius procedere ei non licet. Quam cogitationem Mommsenum movisse suspicor, ut post μορφᾷ distinguens apodosin faciat ἀνορέαις — ἐπέβα παῖς κτέ. Ita vera nascitur oratio vix graeca; quare nescio an ex oblitterato digamma locus olim vitium contraxerit scribendumque sit: εἰ δ' ἐὼν καλὸς ἔρδει ϜεϜοικότα μορφᾷ, ἀνορέαις ἐπέβα παῖς Ἀριστοφάνευς· οὐκέτι κτέ. Sic plana sunt omnia et expedita.

Vs. 32 παλαιαῖσι δ' ἐν ἀρεταῖς ΓΕΓΑΘΕ Πηλεὺς ἄναξ, ΥΠΕΡαλλον αἰχμὰν ταμών. Non ad Pelei senectutem, ut quibusdam videtur, verbis παλαιαῖσιν ἐν ἀρεταῖς respici puto, sed intellego in antiquis virtutibus, i. e. in iis quae antiquitus praeclare gesta sunt. Sed requiro ΛΕΛΑΜΠΕ, λέλαμπε. Respuit etiam ἐν praepositionem γέγαθε et propter sedem iungi nequit cum ταμών, quod fecit Dissen. Quod deinde legitur ὑπέραλλον, nusquam alibi repertum, mutandum fortasse in notissimum ΠΕΡΙαλλον, quo cum aliis noster usus est Pyth. XI 8, licet alibi ea vox adverbiascat. Quid lateat sub depravata Hesychii glossa ὑπεράλλα πέτηξ· ὑπὲρ τὸ δέον nondum quisquam repperisse videtur.

Vs. 36 pro ἐγκονητί omnino legendum ἐγκονιτί, non sine pulvere, ut est ἀκονιτί, sine pulvere. Tandem monuit Bergk ed. IVta, sed in textum certissimam emendationem recipere debuerat.

Vs. 47 σώματα δὲ παρὰ Κρονίδαν Κένταυρον ἀσθμαίνοντα κόμιζεν. Eo qui hic requiritur sensu usitatum est ἀσπαίροντα, sed fieri potest ut recte scholiasta scripserit ἀσθμαίνων ἐκόμιζεν, licet aliter iudicet Bergkius.

Vs. 61 sqq. recte Boeckh: 'Ut manus cum Aethiopibus conserens eam animo infigeret sententiam ne Memnon rediret'. Si quid in tradita lectione vitiosi est, quod non praefracte negaverim, id certe

non sustulit Bergk scribendo ἐν φραςὶ πάξαι θάπος, quod sit τάφος, et h. l. significet timorem. Mireris virum ingeniosum, qui certissimas aliorum emendationes saepe non recipiat in textum, eiusmodi monstra poetae obtrudere.

Vs. 70 deleto puncto post γένηται, legendum suspicor: ἐν δὲ πείρᾳ τέλος διαφαίνεται, ὧν τις ἐξοχώτερος γένηται ἐν παιςὶ νέοιςι παῖς, ἐν ἀνδράςιν ἀνήρ, γέρων (pro τρίτος) ἐν παλαιτέροιςι μέρος ἕκαςτος (cum Bergkio ed. IV pro ἕκαςτον) οἷον ἔχομεν βρότεον ἔθνος. ἐλᾷ δὲ καὶ (κῆς Bergk) τέςςαρας ἀρετὰς ὁ θνατὸς αἰών, φρονεῖν δ' ἐνέπει τὸ παρκείμενον. 'Experientia enim perspicitur summum quo quis ceteris excellat puer inter pueros, adultus inter adultos, senior inter seniores, quales quidem singuli has aetates habemus mortales; quarum tribus virtutibus quartam addit mortale aevum, respicere iubens praesentia.'

Vs. 76 ἐγὼ τόδε τοι πέμπω μεμιγμένον μέλι λευκῷ cὺν γάλακτι, κιρναμένα δ' ἔερc' ἀμφέπει, πόμ' ἀοίδιμον Αἰολῆςιν ἐν πνοαῖςιν αὐλῶν. Substantivo ἔερςα (= δρόςος) vim tribuunt quam numquam habuit, spumam (i. e. ἀφρόν) interpretati et novitium πόμα pro πῶμα nimis patienter ferunt. Deleta virgula post ἀμφέπει, corrigendum suspicor: κιρναμένα δ' ἔερc' ἀμφέπει τὸν ἀοίδιμον κτέ. hac sententia: qui sic temperatus liquor honorat virum clarum (victorem) Aeolicis tibiarum flatibus. Ad hanc verbi ἀμφέπειν potestatem cf. Ol. VI 61. Si quis forte praetulerit τόδ' ἀοίδιμον, clarum illud facinus, scil. victoriam, per me licet. Bergk qui olim coniecerat cτόμ' ἀοίδιμον, postea in ed. III et IV tuetur formam valde novitiam πόμα.

Nem. IV 38 ἐν φάει καταβαίνειν. Dissen 'petitum a victoribus qui post res bene gestas inter spectatorum admirationem discedunt'. Fallitur; καταβαίνειν semper et ubique est descendere, hic, ut saepe, descendere in palaestram, itaque certare. Verte: nos videbimur adversariis multo superiores cum gloria certaturi esse.

Vs. 44 pro τελέςει lege τελέει.

Vs. 55. Unice recte Ahrens πολεμίᾳ χειρὶ περτραπών pro προςτραπών.

Vs. 58 τέχναιςι χρηςάμενος. Merito suspecta scriptura, sed paene succenseas docto editori Bergkio substituenti τέχναις χαραςςάμενος (sic), quod, si Musis placet, dictum sit pro χαραχθείς, cuius scil. licentiae exemplum citat καταςχόμενος Pyth. I 10, unde apparet virum eruditissimum non observasse Graecos antiquiores perraro, si umquam, uti Aor. Pass. ἐςχέθην, sed tam in verbo simplici quam in compositis pro eo adhibere Aorist. II med. Cuius rei ignorantia fecit ut hic illic a criticis apud optimae aetatis scriptores novitium ἐςχέθην coniectura invectum sit aut oblitteratum ἐςχόμην substituendo imperfecto. Melius certe Bergk attulisset ςτεφανώςαςθαι usurpatum a Pindaro, ut putant, pro ςτε-

φανωθῆναι, Ol. VII 148. XII 25. Nem. VI 34, sed ne ibi quidem Aor. med. usurpatus videtur pro passivo; commode enim his locis interpretari licet caput suum cingere corona, coronam capiti suo imponere. Utut est, vel si quam plurima exstarent aoristorum med. et pass. pro lubitu adhibitorum exempla, qualia sunt citata a Bergkio ἠγάσθην et ἠγασάμην, ἐστρατεύθην et ἐστρατευσάμην, quae sola hic veniunt in censum, ne sic quidem cauto prudentique critico liceret tales anomalias ipsi fingere, multo autem minus scribere χαρασσάμενος pro χαραξάμενος. Quanto melius olim magister, quem B. vilipendit, Byzantinus coniecerat χωσάμενος pro χρησάμενος!

Vs. 67 εἶδεν δ' εὔκυκλον ἕδραν, τᾶς οὐρανοῦ βασιλῆς πόντου τ' ἐφεζόμενοι κτλ. Dici nequeunt convivae ἐφέζεσθαι — ἕδρας, siquidem assidentes mensis (i. e. ἐφεζόμενοι) efficiunt ipsi εὔκυκλον ἕδραν. Quapropter emendandum arbitror τὰν οὐρανοῦ βασιλῆς πόντου τ' ἐφεζόμενοι κτέ.

Nem. VI 10 parum venuste dicitur ἄρουραι — βίον ἀνδράσιν ἐπηετανὸν ἐκ πεδίων ἔδοσαν. Expectari potest infinitivus suspensus ex ἔδοσαν, velut ἐκπονέειν. Commemorari etiam potuerunt ipsius terrae labores propter oppositum ἀναπαυσάμενοι, quod si factum, legi possit ἐκ καμάτων. Illud tamen praetulerim.

Nem. VII 2 sq. His me iudice nihil est sanius, et multo praestat codicum lectio Bergkii et Hartungii coniecturis. Optime vertit Boeckh.

Vs. 15 εἰ Μναμοσύνας ἕκατι λιπαράμπυκος εὕρηται (εὕρῃ τις Schmid) ἄποινα μόχθων κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς. Immo vero κλυταὶς — ἀοιδαίς, Aeolice = κλυτὰς ἀοιδάς, ut ipsa carmina vocentur praemia laborum, cl. Pyth. II 13 ἄλλοις δέ τις ἐτέλεσσεν ἄλλος ἀνὴρ εὐαχέα βασιλεῦσιν ὕμνον, ἄποιν' ἀρετᾶς. Novum hoc accedat exemplum iis quae collegit Bergkius ad Pyth. II 21, ubi tamen equidem praefero vulgatam ἐφετμαῖς, iungendum non cum λέγειν, sed cum verbis ἐν πτεροέντι τροχῷ παντᾷ κυλινδόμενον.

Vs. 72 ὃς ἐξέπεμψας παλαισμάτων. Grammatici alicuius emendationem esse ἐξέπεμψας pro ἐξέπεμψεν dandum est Bergkio, num tamen recte iustam eam dicat, dubito. Vid. Dissen, qui locum probabilius expedire mihi videtur quam Mezger. In vs. praegresso τέρμα προβάς interpretantur, quasi sit ὑπερβάς, quo iure, ignoro. Aliquid vitii subesse crediderim.

Nem. VIII 5 τῶν ἀρειόνων ἐρώτων ἐπικρατεῖν δύνασθαι. Vetus schol. τῶν βελτιόνων ἐρώτων ἐπιθυμεῖν δύνασθαι καὶ ἐπικρατεῖν. Scripsisse videtur ἐπιτυχεῖν, et fieri potest ut apud Pindarum legerit ἐπικυρεῖν, i. e. ἐπιτυγχάνειν, λαγχάνειν.

Ib. 21 ὄψον [δὲ λόγοι] φθονεροῖσιν. Pars librorum om. δὲ λόγοι, quod cum Christo librarii supplementum esse credo. Non male Christ ὄψον φθονεροῖσι ⟨δὲ μόμφοι⟩, nisi quod vox μόμφος, quae ab Antiatticista Euripidi tribuitur, licet bene formata, nimis tamen dubiae auctoritatis esse videtur, quare potius δὲ μομφαί

inseruerim. Repudianda saltem novissima, quantumvis lenis, Bergkii coniectura legentis ὄψον λόγιοι φθ., quia a Pindaro οἱ λόγιοι opponuntur poetis (vid. Pyth. I 94), nec sane ipsi ὄψον invidorum dici poterant. Verissima deinde videtur Heckeri coniectura ἐφίζει pro ἐρίζει.

Vs. 27 φόνῳ πάλαισεν, quo de silent scholia, non satis recte dictum videtur de eo qui sua se manu interficit, si quidem qui cum morte luctatur non necessario vincitur nec, id quod etiam gravius est, qui voluntariam necem sibi infert cum ea luctatur, sed potius eam amplectitur. Quocirca necessarium puto, quod iam olim proposui, παλάχθη, ut dicitur φόνῳ ῥαίνειν πεδίον Isthm. VIII 55, φόνῳ φυρᾶν γῆν Aesch. Sept. 48, φόνῳ χραίνειν χεῖρα Soph. Ai. 43, παλάσσεσθαι αἵματι, λύθρῳ, ἵδρῳ sim. apud Homerum.

Vs. 33 αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος, δολοφράδης, κακοποιὸν ὄνειδος. Ut ex adiuncto genetivo apparet, ὁμόφοιτος ad analogiam nominum φιλός, ἐχθρός, σύμμαχος, sim. factum est substantivum = συνοδοίπορος. Ad genetivum cf. Soph. O. R. 202, ubi Bacchus audit Μαινάδων ὁμόστολος. Propterea deleta virgula scribendum arbitror

αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος δολοφράδης, κτέ.

Vs. 44 μαστεύει — πιστόν. Verba obscura non emendavit Bergk scribendo θέσθαι πιστὰ νόῳ, non enim ἐν ὄμμασι dici potuit τὰ ἐν ὄμμασι, ut interpretatur. Vitio vacare puto (si λαβρόν excipitur) verba sequentia τὸ δ᾽ αὖτις τεὰν ψυχὰν κομίξαι οὔ μοι δυνατόν· κενεᾶν δ᾽ ἐλπίδων χαῦνον τέλος· σεῦ δὲ πάτρᾳ Χαριάδαις τε λάβρον ὑπερεῖσαι λίθον Μοισαῖον κτέ.; ubi Hermann coniecit ὑπερείσω, Bergk ὑπερείσαιν (quam formam optativi legibus etymologicis convenientem numquam exstitisse nondum mihi persuasit accurata Naberi disputatio Mnem. IX p. 98 sqq., sed tamen non ita firmiter credo, ut coniectura eam restituere audeam). Neutri assentior. Aliquanto enim pulchrius ex οὐ δυνατόν mente repetas noto usu contrarium δυνατόν, unde pendeat infinitivus, quod non impedire videtur brevissima parenthesis κενεᾶν — τέλος. ‘Hominem defunctum ex inferis revocare nequeo, sed gloriam eius celebrare possum.’ Prorsus vero spernenda est turpis Mezgeri pro sanissimo vocabulo coniectura ὑπερέσσαι, quod ne Graecum quidem vocabulum est. Sed mendosum est λαβρόν, pro quo acutissime Bergk coniecit βάθρον. Cf. Ol. XIII 8. Ipse ex librorum *Ac* scriptura λαῦρον conieci λευρόν, largum, magnum, conspicuum, ut est πέτρα λευρά apud Eur. Bacch. 982 et Lycophr. 159.

Nem. IX 23 Ἰσμηνοῦ δ᾽ ἐπ᾽ ὄχθαισι γλυκὺν νόστον ἐρυσσάμενοι. Codd. ἐρεισάμενοι vel ἐρυσάμενοι. Reliquis coniecturis accedat haec mea ἐρυκόμενοι, impediti a reditu, ut ἐρύκεσθαι frequenter ab Homero dicuntur qui alicubi inviti detinentur et morantur.

Vs. 28 optime Mezger reponi iussit φοινικοστόλων (pro Φοινικοστόλων), i. e. αἱματοέντων, sed mendosum videtur ἀναβάλλομαι,

quod poeta de re, in qua nullas ipse partes agebat, dicere non potuit. Latere videtur ἀνάβαλλέ μοι aut ἀναβάλλεο aut ἀναβαλλέμεν, iungendum cum Κρονίων. Precatur poeta Iovem ut ea certamina, in quibus agatur de vita et nece, differat in tempus remotissimum, i. e. ut quam diutissime pacem servet: εἰ δυνατόν, Κρονίων, πεῖραν — θανάτου πέρι καὶ ζῴας ἀναβαλλέμεν ὡς πόρσιστα, μοῖραν δ' εὔνομον αἰτέω σε παισὶν δαρὸν Αἰτναίων ὀπάζειν.

Vs. 37 παῦροι δὲ ΒΟΥΛΕΥΣΑΙ φόνου παρποδίου νεφέλαν τρέψαι ποτὶ δυσμενέων ἀνδρῶν στίχας χερσὶ καὶ ψυχᾷ δυνατοί. Pendere videtur eruditis βουλεῦσαι a δυνατοί, quod quam absonum sit nemo monitus non videt, quia quam recte dicitur δυνατοὶ τρέψαι, tam perverse δυνατοὶ βουλεῦσαι τρέψαι. Procul dubio in mendo cubat βουλεῦσαι, sed hoc unum perspicio latere aliquod aut adiectivum aut participium iungendum cum νεφέλαν; incertissimae enim sunt quae succurrunt coniecturae: παῦροι δ' ἐφορμῶσαν vel παῦροι δέ που λαβρὰν φόνου κτέ., vel παῦροι δέ τοι λυγρὰν — τρέψαι — δυνατοί.

Nem. X 13 ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος ἵκετ' ἐς κείνου γενεάν, ἐπεὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις Τηλεβόας ἔναρεν· τῷ δ' ὄψιν ἐϝειδόμενος ἀθανάτων βασιλεὺς αὐλὰν ἐσῆλθεν, κτέ. Coniecit Kayser ὁ δ' ὄλβος φέρτατος κτέ. Nescio an praestet ὁ δ' ὄλβων φέρτατος.

Vs. 18 βαίνους' ἐστί. De industria ita scripsit Pindarus, non θακοῦς', quia in Heraeo Argivo iuxta Iunonem sedentem stabat Iuventae signum, opus Nausicydis. Vid. Pausan. II 17, 5.

Vs. 33 ὅστις ἁμιλλᾶται περὶ ἐσχάτων ἀέθλων κορυφαῖς. Non placet numerus pluralis, quia non agitur de summis praemiis, sed de summo praemio, i. e. palma Olympica. Legendum igitur κορυφᾶς, quod schol. fortasse legisse ait Bergkius et iam Schmidium video commendasse.

Vs. 50 οὐ θαῦμα σφίσιν ἐγγενὲς ἔμμεν ἀεθληταῖς ἀγαθοῖσιν. Verbum ἔμμεν semel positum bis cogitandum esse putant interpretes, quod vereor ut sana grammatica permittat. Pindarus scripsisse mihi videtur: οὐ θαῦμ' εἰ σφίσιν ἐγγενές (sc. ἐστιν), ἔμμεν ἀεθληταῖς ἀγαθοῖσιν. In praegressis utique cum Bergkio legendum ξένια πρός pro ξενίαν παρ'.

Vs. 58 obiter repone veram formam ἀμπιμπλάντες pro ἀμπιπλάντες.

Vs. 71 ἐπ' Ἴδᾳ πυρφόρον πλᾶξε ψολόεντα κεραυνόν. Usurpari solet πλήττειν cum accusativo eius qui (quod) feritur, non eius quod iacitur, quapropter legendum suspicor σκᾶψε, quod est proprium de mittendo telo, imprimis de fulmine.

Vs. 90 ἀνὰ δ' ἔλυσεν μὲν ὀφθαλμὸν κτέ. 'Scil. Iupiter, qui solus hoc poterat.' Dissen, qui procul dubio fallitur. Subiectum idem esse debet quod in praegresso sententia est verbi θέτο, itaque Pelops, qui optione sua fratri oculos resolvit, ope tamen Iovis, ut ultro apparet.

Nem. XI 6 πολλὰ μὲν λοιβαῖσιν ἀγαζόμενοι πρῶτον θεῶν. Antiquo sermoni, in quo hoc est, ni fallor, unicum exemplum formae ἀγάζεσθαι pro ἄγασθαι, magis fortasse conveniret: λοιβαῖς ἀγαπαζόμενοι.

Vs. 27 πεντΑετηρίδ' ἑορτάν: Pindaro reddas πεντΕϜετηρίδ' et sic corrige fragm. 193 (ed. IVta = 205 ed. III).

Isthmion. I 1. Μᾶτερ ἐμά, τὸ τεόν, χρύσασπι Θήβα, πρᾶγμα καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον θήσομαι. μή μοι κραναὰ νεμεσάσαι Δᾶλος, ἐν ᾇ κέχυμαι. Frustra Hartung et Bergk, quorum hic tamen retractavit sententiam, pro κέχυμαι coniecerunt τέταμαι. Qui toti dediti sunt alicui rei, dicuntur κεχύσθαι εἴς τι vel πρός τι, non ἔν τινι, quapropter suspicor Pindarum Boeotice scripsisse ἐν ἂν κέχυμαι. Ex plurimis exemplis vid. fr. 53 init. Cf. adn. ad Pyth. IV 127 et ad Pyth. VIII 69.

Vs. 60 corrige φάρξαι pro φράξαι.

Isthm. III 30 ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν. Hartung coniecit γὰρ οὐ. Dissen tuetur vulgatam, periphrastice sic ipsos deos vocatos esse existimans. Cui interpretationi praeter ipsius poetae usum (Nem. IX 27) hoc obstat, quod ita certe addendum fuerat μόνοι aut οἷοι.

Isthm. IV 35 ἴστε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον, τὰν ὀψίᾳ ἐν νυκτὶ ΤΑΜΩΝ περὶ ᾧ φασγάνῳ, μομφὰν ἔχει παίδεσσιν Ἑλλάνων, ὅσοι Τρῳάνδ' ἔβαν. ἀλλ' Ὅμηρός τοι τετίμακεν κτέ. Haereo equidem in verbis ταμὼν περὶ ᾧ φασγάνῳ, non Mezger, qui vertens sic (τὰν ἀλκὰν) einbohrend [hoc videlicet est ταμών!] ringsum sein Schwerdt, addit: Der Ausdruck ist von malerischer Anschaulichkeit! Mihi, ut leniter dicam, perabsurda videtur. Nisi egregie fallor, poetae Thebani manus haec fuit: τάν, ὀψίᾳ ἐν νυκτὶ ΠΕΤΩΝ (πετών = πεσών) περὶ Ϝῷ φασγάνῳ, μομφὰν ἔχει παίδεσσιν Ἑλλάνων κτέ. Noto usu qui suo se gladio confodit Graece dicitur περιπίπτειν τῷ ξίφει. Ταμών glossema esse potest, quomodo apud Aeschylum in Eumenidibus vs. 592 ξιφουλκῷ χειρὶ πρὸς δέρην τεμών olim, probante Dindorfio, genuinam lectionem βαλών eodem glossemate oblitteratam esse ostendi.

Vs. 47 μῆτιν δ' ἀλώπηξ, αἰετοῦ δ' ἅτ' ἀναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει. Bene locum interpretatur vetus scholiasta: ὑπτία τοῖς ποσὶν ἀμύνεται τὰ μὲν εὐλαβουμένη (sibi cavens) τὰ δ' ἀμύσσουσα. Sic enim scripsit, non quod sine sensu editur συλλαβομένη.

Isthm. V 38 ἕλα νύν μοι πεδόθεν, scil. ὦ Μοῖσα. Recte haec interpretari videtur Dissen, nec probanda Schmidtii coniectura σπιδόθεν, i. e. μακρόθεν. Si quid mutandum foret, melius intellegerem σχεδόθεν.

Isthm. VI 15 εὔχεται — δέξασθαι, precatur ut consequatur. Cf. Boeckh. ad h. l. Moneo propter Mezgerum male vertentem: gloriatur se expectare. Vide sqq.

Vs. 58 τὸν Ἀργείων τρόπον εἰρήσεται πᾶν ἐν βραχίστοις. In fragmento Sophocleo quod affert scholiasta:

μῦθος γὰρ Ἀργολιστὶ συντέμνειν [βραχύς]

ultimam vocem glossema esse suspicor, Sophoclem autem scripsisse:

μῦθος (μύθους?) γὰρ Ἀργολιστὶ συντέμνειν ⟨φιλεῖ⟩.

Fragment. 101 (Bergk. ed. IVta) de Apolline: περιδιναθεὶς ἐπῄει γᾶν καὶ θάλασσαν καὶ σκοπιαῖσιν μεγάλαις ὀρέων ὕπερ ἔστα, καὶ μυχοὺς δινάσσατο βαλλόμενος κρηπῖδας ἀλσέων. Peringeniosa Bergkii coniectura est ἰνάσατο, afferentis glossam Hesychianam ἰνάσατο· — ἐκάθαρεν, sed etiam lenius, mutata virgula post ἔστα in punctum vel in hypostigmen, corrigas: καὶ μυχοὺς δ' ἰνάσατο κτέ.

Fragm. 123 (= 100 ed. III) vs. 6 ἢ γυναικείαν θράσει ψυχὰν φορεῖται πᾶσαν ὁδὸν θεραπεύων. Perperam Dissen: omnem viam sequens, pro πᾶσαν ἡδονὴν θεραπεύων. Tu iunge: ψυχὰν φορεῖται πᾶσαν ὁδόν, θεραπεύων (γυναῖκας), quod substantivum more Graecis perquam familiari eliciendum e praegresso γυναικείῳ θράσει. Perperam me iudice Bergk (ed. IVta) pro γυναικείῳ reposuit γυναικείαν, interpretans ψυχὰν γυναικείαν θεραπεύων φορεῖται πᾶσαν ὁδόν. Est autem ψυχάν pro ψυχράν optima Schneideri correctio.

Fragm. 159 (136 ed. III) Ἀνδρῶν δικαίων χρόνος σωτὴρ ἄριστος. Expectaveram potius: ἀνδρῶν δικαίων χρόνος γνωστὴρ ἄριστος, quae tritissima est apud veteres sententia. Cf. Pind. Ol. I 33. X 65. Simonid. fr. 175. Theogn. 967 sqq. Soph. O. R. 614 sq. Euripid. Hipp. 1051 sq. (cf. 428 sq.), idem apud Stob. Ecl. Phys. I p. 122. Plat. Symp. p. 184 A, Xen. Hell. III 3, 2. Dionysius Halicarn. de orat. ant. cap. II, ubi haec Pindari verba servavit, sic scribit: ἀλλὰ γὰρ οὐ μόνον ἀνδρῶν δικαίων χρόνος σωτὴρ ἄριστος κατὰ Πίνδαρον, ἀλλὰ καὶ τεχνῶν — — Ἔδειξε δ' ὁ καθ' ἡμᾶς χρόνος — — καὶ ἀπέδωκε τῇ μὲν ἀρχαίᾳ καὶ σώφρονι ῥητορικῇ τὴν δικαίαν τιμήν, ἣν καὶ πρότερον εἶχε, καλῶς ἀπολαβεῖν κτέ. Quae oratio non ita comparata est, ut liquido constet, utrum Dionysius σωτῆρα sospitatorem legerit, an γνωστῆρα, aestimatorem, testem. Nimirum agitur ibi de scriptis veteribus non deperditis, sed, postquam pravo hominum iudicio diu neglecta iacuerant, novo honore ipsius aetate florescentibus. Fieri tamen potest ut σωτήρ sollicitandum non sit, volueritque his verbis Pindarus significare iustorum hominum (propter laudes quibus ὑπ' ἀοιδῶν λογίων τε celebrantur) numquam interire memoriam.

Fragm. 189. Pro πανδαμεί legatur πανδαμί. Cf. Lapid. testimon. d. d. A., p. 82.

Fragm. 207 (191 ed. III) Ταρτάρου πυθμὴν πιέζει σ' ἀφανέος σφυρηλάτοις — — ἀνάγκαις. Offendit humile vocabulum in magnificentissima oratione. An fuit ἀχανέος?

Fragm. 223 καὶ φέρονταί πως ὑπὸ δούλειον τύχαν (libri ΤΥΧΗΝ) | αἰχμάλωτοι, καὶ χρυσέων βελέων ἐντὶ τραυματίαι. Elegantius foret ὑπὸ δούλειον ζυγόν, quod poetarum usu tritum est et fortasse reddendum Pindaro. Sic demum apta est praepositio ὑπό.

Scribebam Traiecti ad Rhenum m. Ianuario a. 1881.